
MAJESTAS DIVINO-HUMANA THEOLOGICE PROPUGNATA. SIVE DIFFICULTATES SCHOLATICÆ...

Kilianus Kögler, Johann Degler, Georg Heinrich Schifflin



Ioan. Degler pinxit Monachij. *Georg Heinr. Schyflen Sc. Aug*

MAJESTAS
DIVINO-HUMANA
THEOLOGICE PROPUGNATA:

SIVE

DIFFICULTATES SCHOLASTICÆ SELECTÆ

CIRCA

PRÆROGATIVAS
COMPOSITI THEANDRICI

AD

TERTIAM PARTEM DOCTORIS ANGELICI,
PUBLICÆ CONCERTATIONI EXPOSITÆ
IN

ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE DILINGANA

PRÆSIDE

P. PETRO PFISTER SOC. JESU
SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE
ORDINARIO,

DEFENDENTE

REVERENDO, RELIGIOSO, ET DOCTISSIMO DOMINO

P. KILIANO KÖGLER
Celeberrimæ Collegiatæ Ecclesiæ Canonicorum
Regularium S.P. AUGUSTINI Congreg. Lateranensis
ad S. SALVATOREM & S. CRUCEM POLLINGÆ
Professo, SS. Theol. & SS. Canon. Candidato.

Mense Augusto. ANNO MDCCXI.

Cum Facultate Superiorum.

DILINGÆ. Formis JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Academici.

Eminentissimo ac Reverendissimo

PRINCIPI,

DOMINO, DOMINO

CAROLO AUGUSTINO FABRONO

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

TIT. S. AUGUSTINI PRESBYTERO CARDINALI,

CANONICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS LATERANENSIS PROTECTORI &c. &c.

PRINCIPI

AC

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO



VLtra Montes editum hunc literarium partum, PRINCEPS EMINENTISSIME, Nominis Tui cum ſole diffuſus, non óccidens, ſplendor adeò erexit & incitavit, ut in ipſos ſeptem VRBIS

Orbi dominantis Colles eluctari, quin in horum Collium Purpurato Culmine, Dignitatis Tuæ fastigio, supplicem se sistere festinaret. Animos addiderant, qui centum ubique linguis celebrantur, Romani Aquæductus. Hi quamvis arcto limite constricti, & suo velut murmure obscuritatem indignantes, longa viarum spatia emetiantur, at ubi pensiles hi amnes Romanæ Potentiæ vectigales redduntur, priora mox vincula & tenebras cumulatè redimunt, atque jam *OPTATO CONDUNTUR TIBRIDIS ALVEO.* Exilia sunt hæc folia, nisi sculptoris fortè consilium veniâ donetur, qui impa-

pa-

pari ſcalpro cedrum deſtinet, teſtantem quidem, quòd à materiâ ſuperetur opus, ſed neutrius ſummo pretio cederet animus. Divinam ÆTERNI PATRIS Imaginem adumbramus, ut hæc in Luce Tuâ reſplendeat, DEI VICARIO dignâ. Nam ſi Cælum ipſum ambulanti in Terris DEO panegyrin, totâ æternitate conceptam, his omnino verbis contexuit: *IN QUO MIHI COMPLACUI* Matth.3. quid aliud auſpicatiſſimæ illi voci addere poſſit grata Decorum Tuorum memoria, vel quid omittere vis dicendi uberrima, dum hoc ſolum eloquitur, Te CLEMENTI, Pontificum Maximo

mo, placere, gaudio non minore eorum, qui hæc acclamant, & summas de Te spes jam in tuto collocatas vident, quàm immortali Tuâ laude perennem quoque gloriam illi conciliante, qui Purpuratorum Principum Senatui te inserere voluit, quia Merita Tua, ac in difficillimis æquè & gravissimis negotijs coronata semper præstantia voluntatis minimum reliquerant. Liceat tamen ejusdem Famæ, quæ tam Magnitudinis Tuæ creditum est, quàm illa hujus mensura, saltem interpretem agere. CLEMENTI places. Te igitur sententiam ferente, cujus consilium

pro-

propria & ſummo cum encomio tranſacta ætas abundè ſuppeditat, jam ſacræ Curiæ, quarum & plurium & præcipuarum columen es ac gemma, mutis Athenarum Oraculis facilè ignoſcent. De Te Juſtitiæ arbitro veriùs pronuntiâſſet Pyrrhus, Epirotarum Rex, quàm de Magno etiam Romanorũ Conſule C. Fabricio: *FACILIVS SOLEM A SVA VIA, QVAM HVNC A RECTI TRAMITE DEFLECTAS.* Te ubi Bonæ Artes & Diſciplinæ in vota vocant, iſtas quidem amplecteris ac foves, ſed ut eædem in propriâ velut ſphærâ, & communi ſimul centro conquieſcant, atq; cùm ſuum exinde lumen & ideam pri-

dem hauſerint, ad fontem redeant, ſicut incrementi non indigum, ita aliorum ſecundo curſui ſemper apertum. Appello ex teſtibus innumeris Theologiam, cui à Scholâ nomen eſt, quæ olim in publicâ Arenâ à Te invictè propugnata, nunc gaudet in ſacris Senatibus jus Tuo ore dicere, & inimicos vel orthodoxæ doctrinæ, vel morum integritati fluctus componere, aut obſtinatos frangere. Te denique, nam & hanc coronidem jubet imponere, quæ in pleno Virtutũ tuarum choro eminet, Humilitas honorata, palàm eſt decernere omnia, quæ digniſſimũ Gloriæ Divi-

næ

næ triumphum adornent, nec mi-
nùs prudentiæ ac zeli Apoſtolici
viribus efficere poſſe, quæ ſponte
decernis, ter fortunatos ſucceſſus
gratulantibus Tibi Bonis omni-
bus, quia hîc nec palpi diſcrimen,
neq; ſublimitas intra conſpectum
invidiæ poſita, quin maxima de
eximijs præſagijs ſecuritas; hoc ſo-
lo ſinceritati ſuſpicionem moven-
te, quòd laudes Tuæ à ſingulari
laudantium utilitate ſeparari non
poſſint; ſi tamen fluvij propterea
grati audire deſinant, quòd ad pa-
rentem Oceanum revertantur, ſi-
ne quo copiam & nomen deper-
derent. Subinde ad Tuæ Proſapiæ

avitas Ceras, quibus florentissimæ Patriæ Tuæ, ac Hetruriæ Vrbis Pistoriæ claritas ex CLEMENTIS IX. P. M. natalibus, & conjuncto Tibi sanguine hausta geminatur, conversus, inveni quidem tot Honorum te ambientium sponsores, quot maximè inclytos Heroas, nisi quòd Majorum fidem elevâris, innubem Auroram illustriore adhuc Meridie explicando; quamvis & Virtutes suâ quamque genuinâ facie ita referas, ut illæ non industriâ Tuâ insitæ, sed cum primâ luce acceptæ videantur. Occurrebat simul Dilinganæ hujus Vniversitatis Insigne, nimirum Malleus,

qui

qui à JULIO III. P. M. cui ex Hetru-
riâ quoque origo, Jubilæum felici-
ter condente ad Eminentiſſimum
Cardinalem OTHONEM TRUCHSE-
SIUM delatus, ab hoc deinde eidem
à ſe fundatæ & à memorato ſum-
mo Pontifice approbatæ Vniver-
ſitati relictus eſt, ominoſo mune-
re, Gentilitios Tibi tres Malleos,
qui hodie Dilingæ in tam ſublime
ac præſens cedunt præſidiũ, huic
pariter non unum duntaxat ſpon-
dere ſæculum, & ſacra ſæpiùs pan-
denda Limina, dum TUÆ patet
aditus Clementiæ. Sed quæ peni-
cillum & ſcalprum in ipsâ Dedica-
tionis fronte occupavit, neq; mi-

nùs devotiſſimum Tibi calamum modò abripit, eſt altera Inſignium Tuorum pars, nimirum Crux Orbem complexa, pluribus, dicam, communis toti Orbi, vel ſingularis Collegio noſtro Pollingenſi fiduciæ argumentis? Nam ille inconcuſſâ ſtabit compage, dum hoc ſalutis & unà Nominis tui ſigno communitur, Collegium verò noſtrum Theſauro, qui Orbis eſt pretium, nunquam non incolume potietur, ubi Crucem Tuam Cruci ſuæ Thaumaturgæ pro ſcuto appenderit; quin ambo ſimul diſcrimen omne, ac hujus timorem vincent, dum Stemmatis Tui

Ar-

Armis adjungere concessum est Divinum illud Lemma: *OMNIS ARMATURA FORTIUM.* Clemente igitur obtutu, PRINCEPS EMINENTISSIME, has paginas dignare, quibus præfixa Icon veriùs Tua depingit dona, quia Collegium nostrum, maximo Tuo favore Congregationi Lateranensi insertum, ut nempe hoc Gratiæ Tuæ monumentum tamdiu perduraret, quamdiu manus immortalis nomina nostra inscribens Petræ, cujus fundamentum in Cælo jactum est. Perennabit quidem simul, fatemur, apparens nostra ingratitudo, dum ad ejusdem Gratiæ pondus omne

grati-

gratitudinis pignus evaneſcit, ſed nec Tua quempiam latet Magnanimitas, quæ etiam alienâ in umbrâ altitudinem ſuam dimetiendam præbet, & cui ſuis ſub Auſpicijs militare indulget, eundem jubet & vincere. Senſus, verba, typus effugerent, ſi cæterorum vel apices notarem, quæ nobis dudum unanimes has voces expreſſerunt, Te CAROLUM AUGUSTINUM alterum eſſe Sanctum Parentem noſtrum. Ita Eccleſia, cujus titulum geris, univerſæ Eccleſiæ annuntiat; ita ipſæ hujus Tui Nominis transpoſitæ literæ manifeſtum faciunt: O CLARUM AUGU-

STI-

STINUM! Hoc cum Pollingensi & reliqua concinunt Collegia, quæ eidem Lateranensi Congregationi adscripta de Crucis Tuæ Insignibus intra Bavariæ orbitam nobiscum gloriantur, atque jam inter fortes se numerant, dum in tanto talique clypeo omnem armaturam suam repositam vident. Id tamen deficienti sermoni solatio venit, quòd tam Romæ, quæ Virtutum tuarum spectatrix, quàm universi terrarum Orbis, qui earundem auditor est, vota & auguria explere liceat plurima ac maxima, dum Purpuræ Tuæ limbum summâ cum demissione

osculatus felicitatem Tibi omnem & Gloriam apprecor.

DILINGÆ CALENDIS AUGUSTI.

EMINENTISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS

Devotissimus Servus

KILIANUS KÖGLER
Can. Reg. Later.

INTRODUCTIO.

QUam ter auspicatam sortem in votis habueram, ea mihi, favente Cælo, oblata, nimirum *exultandi* publicè *in salutari ex Sion* Ps. 52. & aliorum saltem digniori encomio proponendi DEUM VERUM DE DEO VERO. *Si* enim, ait Mellifluus Hom. 11. in ep. 2. ad Corinth. *Christo donavero, quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est, sicut stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum?* An itaque durum vel grande audiat, sudorem laborando fundere pro illo, qui & sanguineum ac Divinum tanto priùs tempore profudit, ut seipsum dando nos ipsos nobis redderet. Sed absterret, ut Sulmonensis huc verè cantum referes, *sacra Majestas, quæ Mundum temperat omnem, Quáque die partu est edita, magna fuit*; præsertim cùm Sapientis minæ accedant Proverb. 25. *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloriâ.* Oppono alterum Ecclesi. 24. *Qui operantur in me, non peccabunt.*

 Qui

Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Nempe scrutatorem Majestatis opprimet gloria, at si propriam quærat; opprimet & aliena, si eam menti, non cordi imprimat, atque ejusdem Majestatis scientia inflet, non elevet, ut *ubi est Corpus* Divinitate plenum, *congregentur & Aquilæ* Matth. 24. Ita, nefas est, audaces, sed & nimium timidos esse. Excæcat vehemens Solis aspectus, at moderatus fovet. Fides rationem ducat, & Athenarum noctuis columbæ succedant. Ne montium juga irritus ascendas, molliorem viam parabit *Divinus sermo, fluvius hic planus & altus, in quo elephas natat, & agnus ambulat* S. Greg. in Præfat. Lib. Moral. c. 4. Æquis trutina pendebit lancibus, ubi pondus addiderit manus, quam effugit nihil, quod indigitat. Sed, esto, antiqua non retrahat difficultas, saltem, inquies, rara in hoc Argumento novitas suspendit calamum. Enimverò si prius terrorem non incussit, alterum adhuc minùs persuadet. *Omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi sunt in Christo* ad Coloss. 2. Et existimem, vacuas tantùm fodinas rimantibus superesse? *Investigabiles* dicuntur *Divitiæ Christi* ad Eph. 3. Et credam, eas non modò deprehensas, sed usque ad egestatem contemplatricis Scientiæ absumptas? Occurrit hîc memoriæ, quod de Persarum olim Regibus recensetur, illos scilicet duas urnas, unam Nili, & alteram Istri aquâ repletas exteris Principibus monstrare consuevisse, *tanquam pignus Imperij, &*

rerum

rerum se Dominos esse Plut. in vit. Alexand. Imperium hoc à Nilo ad Istrum usque exporrectum pro Symbolo accipe nobilis illius sententiæ, quam D. Ambrosius de Christo pronuntiat: *Non divisus, sed unus, quia utrumque, unus & unus in utroque, hoc est, vel Divinitate vel corpore: non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed aliter ex Patre, aliter ex Virgine* de Incarn. Dom. Myst. c. 5. & quamprimum concludes, tanta & talia esse Mysterij Incarnationis arcana, *quæ, si scribantur per singula, nec ipsum, arbitror, Mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros* Joan. 21. Sanè, opimâ hac messe jam sua horrea fregerint alij; sed poterant aristæ quædam colligentes effugere. Trita sit semita; at fortè spina nocens injecta gressum impedit. Fruamur Patrum hæreditate; sed relictæ fortunæ novo lucro excrescant. Vastâ jam mole sint conditæ Systematum quasi machinæ; sed quid si ex parte ruinam traherent? Victoria velut in castris stipendia meruerit; sed alius fortè insurgit hostis, vel prior certamen redintegrat. Plura illos docet experientia, qui S. Augustinum imitari student *proficiendo scribere & scribendo proficere* ep. 7. Id potiùs sollicitum unumquemque teneat, quod ex Lyrico insonat, quoties de DEO-Homine sermo. *Sed neque parvum Carmen Majestas recipit tua, nec meus audet Rem tentare pudor, quam vires ferre recusant.* At neque à dignitate & amplitudine Argumenti vinceremur, si nunquam tentâssemus aleam.

 Præ-

Præſtat indiſertum, quàm ingratum videri. Regijs tubis clangentibus interjectæ fides varietatis pretium obtinent. Cæleſte Manna Chriſtus eſt, quod inſipidâ hac chartâ exceptum legentis ſe guſtui aptabit; ſique Majeſtas ab Antiquis dicta eſt Honoris ac Reverentiæ filia, eveniat nobis parens & Honoris ac Reverentiæ, eidem Majeſtati exhibendæ; frigebit enim animus, cui lux ſcientiæ non fuerit caloris vehiculum. Cæterùm nec ea diſſimulanda ratio, quæ ad eligendum tam ſublime & optatum Argumentum pertraxit. Thaumaturgam Crucem Pollingenſem in primâ Theſium fronte exhibemus, jam ante mille fermè annos à cervâ humum effodiente detectam, dum Thaſſilo II. Bavariæ Dux venationi vacaret. Et cur non Virtutes omnes Theologicæ ſe impenderent, *aſpiciendo in Auctorem Fidei & conſummatorem* JESUM ad Hebr. 12. *tenendo propoſitam ſpem, ſicut anchoram animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi præcurſor pro nobis introivit* JESUS Hebr. 6. atque *charitate Dei diffuſâ in cordibus noſtris* ad Rom. 5. viciſſim exclamando: *Charitas Chriſti urget nos, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt?* 2. Cor. 5. ac denique mortales omnes adhortando, ut ſint *per Fidem in Charitate fundati* Eph. 3. Præſtitit hæc memoratus Thaſſilo, ubi extructâ Baſilicâ ad Gloriam & Honorem S. Salvatoris eandem inventam Crucem DD. Canonicis Regularibus S. P.

Auguſtini cuſtodiendam ac venerandam tradidit, ut ita velut ex ſancti hujus Præſulis corde perpetuò funderet illud in Deum æſtuantis Hipponenſis ſuſpirium: *Aſpice me, ut diligam Te.* Finio, ac tibi, Lector Benevole, regulam porrigo, quam ſubtilis Doctor omnibus Chriſti Prærogativas dimenſuris offert: *In commendando Chriſtum malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debitâ, ſi propter ignorantiam oportet in alterum incidere.* In 3. Diſt. 13. q. 2.

* * *

ELEN-

ELENCHUS SEQUENTIUM DIFFICULTATUM.

DIFFICULTAS I.

Communicabilitas Personalitatis Verbi cum Naturâ humanâ, quin huic desit proprietas connaturalis reperta in alijs hominibus.

SECTIONES
- I. Argumenta Sententiæ hanc Communicabilitatem affirmantis roborantur.
- II. Responsio ad Argumenta Recentioris pro Subsistentia creata positiva; & præsertim ex doctrinâ Joannis Theologi.

DIFFICULTAS II.

Subsistentia Divina absoluta.

SECTIONES
- I. Infertur ex stabilitis Principijs Subsistentia absoluta in DEO.
- II. Discutiuntur, quæ contra Subsistentiam absolutam in DEO opponi possent ex Mysterio Incarnationis.

DIFFICULTAS III.

Constitutio Unionis Hypostaticæ.

SECTIONES

SECTIONES

I. Num spectet ad Puritatem Verbi Divini, communicare se naturæ humanæ sine Unione ab his extremis distincta?

II. Potiores Replicæ contra Unionem hypostaticam à Verbo & humanitate distinctam.

III. Salva Immutabilitas Verbi Divini, non obstante Unione hypostaticâ distinctâ, ac illi intrinsecâ.

DIFFICULTAS IV.

Satisfactio Christi ex rigore Justitiæ.

SECTIONES

I. Examinantur faciliores conditiones ad hunc rigorem requisitæ; & deciditur Quæstio.

II. An idem rigor Justitiæ stare possit cum Dominio Divino Proprietatis?

III. An in DEO sit æquè inabdicabile Dominium Proprietatis, ac Dominium Jurisdictionis?

IV. Exponitur illud dictum Aquinatis: *DEUS non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi.*

V. Perpenduntur aliæ Instantiæ, & præsertim de Creatura rationali essentialiter servâ & simul amicâ DEI.

DIFFICULTAS V.

Quomodo conciliari inter se debeant Attributa Divina?

)()()(SECTIONES

SECTIONES

I. Traduntur quædam Regulæ pro Discursu de Perfectionibus Divinis.

II. Usus præcedentis doctrinæ in gemino Paradigmate, nempe circa Controversias de Peccato essentialiter irremissibili, ac de Creatura rationali essentialiter impeccabili.

III. Deducitur, Satisfactionem Christi non decrescere, quamvis ea dicatur non esse juxta totum rigorem Justitiæ.

DIFFICULTAS VI.

Infinitas Meritorum Christi simpliciter dicta.

SECTIONES

I. Adjudicatur Meritis Christi talis Infinitas.

II. Præluduntur diversæ viæ vel ab Authoribus jam tentatæ, vel quæ iniri possent ad assequendam Infinitatem Meritorum Christi.

III. Verisimilior modus ejusdem Infinitatis.

IV. Refelluntur Argumenta Scotistarum contra Infinitatem Meritorum Christi simpliciter dictam.

DIFFICULTAS VII.

Examen Instantiæ ex ratione gravis Offensæ DEI contra Infinitatem Meritorum Christi deductæ.

SECTIONES

SECTIONES

I. Probatur *ad Hominem*, Merita Christi non esse tantùm Ordinis superioris ob circumstantiam Personæ.

II. Asseritur sola superioritas Ordinis in gravi Offensa DEI.

III. Colligitur, non procedere vel illam illationem Scotistarum: *Peccatum non est simpliciter infinitum. Ergo nec Meritum Christi*; vel hanc Thomistarum: *Meritum Christi est simpliciter infinitum. Ergo & Peccatum in ratione Offensa DEI.*

DIFFICULTAS VIII.

Radix Infinitatis Meritorum Christi.

SECTIONES

I. An talem radicem constituat Personalitas Verbi, ut distincta virtualiter à Naturâ Divinâ?

II. Num Infinitas Meritorum Christi desumi etiam possit à Natura Divina, mediatè unitâ Humanitati?

DIFFICULTAS IX.

Primatus Christi in ordine Decretorum DEI.

I. Paratur via, eruendo objectum prodigiosi Somnij, quod in Paradiso habuit Adamus.

II. Altera Dissertatio prævia, per quam à Christo avertitur ratio Boni, quod ajunt, Occasionati; ubi etiam exploratur mens S. P. Augustini ac S. Thomæ.

III.

SECTIONES III. Adstruitur Primatus Christi in ordine Decretorum DEI virtualiter divisibilium.

IV. Excipitur in eodem Systemate Decretorum DEI virtualiter divisibilium contra Scotistas, quòd Redemptio Generis humani non fuerit causa finalis solius circumstantiæ Passibilitatis Christi.

V. Indagatur Primatus Christi etiam in Hypothesi Decreti Divini virtualiter indivisibilis.

DIFFI-

DIFFICULTAS I.

Communicabilitas Personalitatis Verbi cum Naturâ humanâ, quin huic desit proprietas connaturalis reperta in alijs hominibus.

SECTIO I.

Argumenta Sententiæ hanc Communicabilitatem affirmantis roborantur.

I. PRimas hîc sibi meritò vendicat ipsa, ut loquimur, Incarnationis Dominicæ substantia, in eo posita, quòd Persona verbi Divini reddita etiam sit Persona hujus hominis, qui est Christus, attrahendo quasi hujus humanitatem, & verè efficiendo, ut illa non remaneret sua, sed evaderet propria Filii DEI, atque jam exclamare liceret: *Emmanuel*, nobiscum DEUS Is. 7. Hinc difficultas nascitur, an eadem Persona Verbi ita potuerit communicare se per ineffabilem Unionem hypostaticam creaturæ suæ, seu humanitati, quæ defacto admissa est ad tam felix & sublime vinculum, ut illam non spoliaret ullo complemento substantiali, quod in puris hominibus reperire sit; vel an ex adverso in istis hæreat positiva quædam entitas, quæ consistere nequeat cum summâ communicatione DEI ad extra, quin essentialiter opponatur huic maximæ perfectioni naturæ, in cujus tamen bonum talis entitas producta & intenta est. Controversia quidem hæc à Philosophiâ subinde occupatur, subinde ad forum Theologicum remittitur, cujus etiam amplitudinem requirit, ut suis numeris absoluta sit, neque præjudicium afferat gravissimis litibus, quæ circa Subsistentiam divinam absolutam, vel tres Relativas, alibi calamos & Scholarum Rostra exercent. Nos & alius permovit titulus, nempe Majestas Divino-Humana, quam Theologicâ methodo propugnare, in ipsâ hujus lucubrationis fronte professi sumus. Si enim qualitas Gratiæ sanctificantis ita afficit creaturam rationalem, ut hanc tantùm perficiat, sui quidem privationem tollendo, non verò aliâ simul connaturali proprietate

Mentes Angelicas aut immortales animas exuendo, cur aliter sentire fas sit de Gratiâ increatâ, quasi scilicet Persona Divina non potuisset terminare naturam humanam, nisi præveniendo aut effringendo congenitos aliàs substantiales illius limites? Ne verò antiquum melos recinamus, placet sermonem restingere ad repellendos, vel saltem labefactandos novos arietes, quibus nostra in hac parte sententia recentissimè attentata est; in secundâ deinceps Sectione expeditum erit, contra positivas etiam, quæ pro adversâ opinione militant, rationes pugnare.

II. Nostra itaque Assertio est, veram causam, quare humanitas Christi non habeat propriam subsistentiam vel personalitatem, haud provenire ex defectu perfectionis cujusdam positivæ ac substantialis, quæ in aliis hominibus adsit, sed præcisè ex ipsâ unione ejusdem humanitatis cum Personâ verbi. Ita Doctor Subtilis in 3. Dist. 1. q. 1. a. 3. & alibi sæpiùs, quem passim sequuntur politiores Scotistæ, ut loquitur Mastrius in 3 Disput. 1. q. 3. n. 66. Consentit Angelicus, quemadmodum hujus doctrinam & præsens, ac proximè secutura Difficultas apertè prodet, adstipulante ex nostris Ludovico Molinâ in 1. p. q. 29. a. 2. Disput. 3. ut adeò cæteros suffragatores recensere opus non sit, ubi Ducem Aquinatem in castris numeramus.

III. Primum conclusionis hujus argumentum, & à priori, sic efformatur. Persona dicitur à Böethio l. de duab. natur. *Rationalis naturæ individua substantia per se existens*, vel ut Richardus Victorinus l. 4. de Trinit c. 22. emendatiùs proloquitur, *incommunicabilis subsistentia*, aut *incommunicabile subsistens*, teste ipso hîc cæteroquin adversario Gabriele Vasquez in 1. p. Disp. 126. c. 2. Exinde consequens est, quòd ad conceptum personæ duo requirantur, nempe incommunicabilitas, & quidem per identitatem vel prædicationem, non verò per unionẽ; aliàs siquidem Persona Verbi actu per unionẽ copulata humanitati deperderet rationẽ personæ; aut certè redundare convinceretur vox in definitione expressa, nimirum ly *subsistens*, cujus ipsum etymon est, excludere unionem cum altero ente digniore. Incommunicabilitas itaque per identitatem vel prædicationem tum declarat, Naturam Divinam, quamvis summè individuam, seu singularem, haud tamen esse personam; tum à quidditate personæ excludit substantias secundas in Aristotelis sensu acceptas, seu rationes dialecticè communes & universales. Alterum, quod ad constituendam rationem personæ concurrere oportet, est ipsum *subsistere*, seu *per se existere*, in quantum nempe illa non existit in alio, tanquam pars in toto, aut forma in subjecto, ut ex decursu ampliùs constabit. Porrò his ita habentibus in sequentem modum argumentamur. Independenter à complemento positivo & substantiali, quod adsit, jam intelliguntur puri homines esse personæ; itẽ independenter à si-

à simili complemento, quod desit, jam intelligitur humanitas Christi carere propriâ seu creatâ personalitate, modò subsistentia asseratur reposita esse in negatione generali unionis naturæ cum alio ente digniore. Ergo neque necessitas cogit, neque ratio persuadet, tenere superadditum illud complementum. Antecedens probatur. Nam incommunicabilitas per identitatem aut prædicationem aliàs convenit naturæ creatæ, quæ ob circumscriptos perfectionis suæ terminos non potest identificari cum pluribus inter se realiter distinctis; subsistentia verò illa, seu explanata *non unio* utique formaliter habetur per ejusmodi negationem, quæ ipsa negatio cùm itidem formaliter excludatur per unionem humanitatis Christi cum Verbo Divino, sponte profluit, quòd eadem humanitas desinat esse persona. Jam licet subsumere. Atqui repugnat, verificari de aliquo definitionem, nec tamen illud eodem passu consurgere, ut definitum, nisi sustinere malis, idem posse dari absque eodem, ac ipsum sine seipso. Ergo repugnabit pariter, dari in alijs hominibus omnia constitutiva propriæ personæ, quin ibidem dentur tales personæ, aut desinere aliquod ex hisce constitutivis in humanitate Christi, quin ibidem desinat quoque ratio propriæ seu creatæ personæ.

IV. Digrediamur quamprimum ad replicas, quas opponit Clarissimus P. Gormaz in cursu Theologico ante quadriennium Dilingæ edito Tom. 2. Tract. de Incarnat. Disp. 14. per totum, quas tamen eo potiùs ordine afferemus, quo ad argumenta nostra propinquiùs aciem admovent. Definitio hæc *Persona* à nobis exhibita, & tali commentario illustrata, non satis congruit paritati, etiam in Sacris Concilijs haud infrequenti, inter Personas Divinas ac humanam, utique quoad vim entis positivi; & profectò arduum aliàs remaneret enodare, quòd Pater & Filius virtute Spirationis activæ spirent Spiritum sanctum, non verò hunc spiret ipsa Spiratio activa, aut quòd Natura Divina non generet. Accedit famosus ille loquendi modus in edicto Fidei, quod Papa Vigilius approbavit; nempe aliud esse naturam, & aliud esse subsistentiam, hanc enim significare, quod est speciale, illam verò, quod est commune. Refertur & Divus Damascenus, inquiens, personam esse, quæ per suas actiones & proprietates perspicuam atque circumscriptam eorum, quæ ejusdem naturæ sunt, declarationem nobis præbet. Quis verò non palpat, prædicata hæc tam splendida longè transcendere omnes negationum tribus?

V. Equidem non refugimus, neque inviti sustinemus, paritatem texi inter Personas Divinas ac humanam, nam & illas, & istam tela definitionis nostræ involvit, sed cum hoc probè advertendo discrimine; nimirum Personalitates accedere Naturæ Divinæ, ut hæc, quamvis per se existens, reddatur incommunicabilis; Personalitatem ve-

rò propriam superaddi naturæ creatæ, ut ea reddatur per se existens, ad quod alterum pura negatio unionis omnino sufficit. Ex quo similiter elucescit, Spirationem activam, tanquam actu communem Patri & Filio, non esse Personam, &, quod consectaneum est, neque Suppositum spirans Spiritum sanctum; item manifestum fit, Naturam Divinam non generare, utpote quæ actu communicatur per identitatem Patri generanti, ac Filio generato. Quin neque Adversarij hîc versantur extra omnem teli jactum. Nituntur illi passim axiomate Philosophi docentis, actiones esse suppositorum. Et quis hujus Proloquij tenor? Sanè cùm vera & nitida ratio Personæ ac Suppositi primùm nobis innotuerit ex gemino Mysterio Trinitatis & Incarnationis, nisi hæc Divinitatis arcana revelata jam fingas in Prædicamentis Stagyritæ, enimverò doctrina Philosophi ita sonabit: Omnes actiones à singularibus agentibus exercentur respectu effectuum singularium. En relabens in Adversarios spiculum! cur enim in eorum proprijs principijs Natura Divina, quæ summè singularis est, neque generat, neque spirat?

VI. Porrò adjectæ in Edicto Fidei particulæ: *aliud & speciale* nullum responsuris gignunt fastidium; nam prior designat *non idem*, quod negationibus etiam congruit, altera verò denotat naturam non unitam alteri substantiæ, qualis specialitas perspicuè obtinetur per negationem physicam, quæ ipsamet incapax est, ut assumatur per realem unionem, ac multò minor capacitas adest, ut ita assumatur negatio omnis unionis; è contrario negotium tantâ facilitate non componitur circa controversum substantiale complementum, cujus essentialis oppositio cum unione ad Verbum Divinum asseritur quidem, sed longiore saltem, si non vanâ opera, eruitur. Audiatur Mastrius q. cit. a. 1. n. 68. ita de Adversarijs disserens: *Quando inquiunt personalitatem, entitatem positivam importantem, etiamsi sit in potentia obedientali ad DEUM, non posse assumi ob implicantiam contradictionis, tenentur rationem assignare talis implicantiæ; nec sufficit implicantiam assignare, quia talis entitas est; nam eodem modo de quacunque re negare possemus ad libitum, posse DEUM hoc vel illud facere, ex vi potentiæ obedientalis, implicantiam assignando, quia talis entitas est.*

VII. Dictum S. Damasceni, si procul est à lacessendâ contrariâ opinione, neque nostræ infestum imminet. Quæro etenim, an personalitas creata, siquidem in complemento positivo ac substantiali consisteret, operaretur se solo, vel tanquam agens principale, aut potiùs id muneris foret ipsius naturæ in concreto acceptæ, seu prout hæc denominatur subsistens per hujusmodi complementum? primum nec Adversarij tenent, atque à naturâ entitatis illius modalis abluderet; alterum verò nobis æquè patrocinatur, nam cur natura in concreto accepta, seu quatenus illa evadit Sppositum, non possit similiter denominari principium;

cipium, ut quod, suarum operationum, ac ita *perspicuam & circumscriptam eorum, quæ ejusdem naturæ sunt, declarationem nobis præbere*, quod S. Damascenus ad personam requisiverat, cùm etiam officium personalitatis positivæ non esset aliud, quàm naturam terminare, ac velut intra seipsam cohibere, non autem ad actiones Suppositorum physicâ virtute concurrere?

VIII. Alterum columen nostræ Conclusionis sic erigitur. Omnia Oracula Conciliorum, & Patrum effata, de unitate Subsistentiæ, Hypostasis, & Personæ in Christo, dilucidè evolvuntur, modò dicatur, idcirco naturam humanam Christi carere propriâ subsistentiâ, quia eadem natura non est separata à Verbo, sed verè cum hoc unita, ac intrinsecè componens Christum. Ergo superfluum est, & commentitium illud complementum positivum, quod in puris hominibus reperiatur, & ab Humanitate Christi excludatur per unionem dictæ Humanitatis cum Verbo. Consequentia patet, cùm illam vel æqualem unionem satis removeat in puris hominibus ipsa separatio, seu divisio, hoc est, negatio unionis cum alio ente digniore; talis verò negatio adesse nequeat in Humanitate Christi, quando præsens est unio illi negationi opposita. Antecedens pluribus ac luculentis tabulis commonstrari posset, sed ne textibus utramque paginam faciamus, placuit seligere testimonium, quod citatus Author in suas etiam partes derivare contendit. En effatum Theodori Cariæ Episcopi, quod refertur Tom. 9. Bibl. nov. *Quia corpus assumptum est pars Christi, idcirco non est hypostasis*, quæ verba sunt velut compendium Antecedentis in argumento assumpti. Confirmatur ex Cyrillo paucis, sed succo plenis verbis, exclamante; fore in Ecclesiâ DEI pacem, si Nestorius veram & physicam unionem inter Verbum & Humanitatem concederet, ut habetur in Actis Conc. Ephes. Nunc ita discurrimus. Secta Nestoriana crocitaverat, Verbum Divinum assumpsisse personam humanam, quia assumpserat naturam rationalem ab agente substantialiter & physicè actu divisam, atque duntaxat accidentaliter Verbo unitam, nempe unione accidentali vel morali secundùm authoritatem, potentiam, aut unitatem affectuum. Ergo orthodoxa propositio erit, Verbum eapropter assumpsisse naturam, non verò personam humanam, quia Humanitatem sibi substantialiter univit, neque eandem reliquit realiter ac physicè per se existentem. At nunquid hoc totum obtinetur, si actualis unio cum Verbo locum non reliquerit negationi generali unionis cum ente digniore?

IX. Hoc secundum columen ita succutit allegatus Author. Causalis *quia* à Theodoro assumpta tantùm accipi debet arguitivè, non autem constitutivè; quasi diceret, ritè quidem colligi ex præsentia unionis cum Verbo defectum complementi substantialis in Humanitate Christi, cui nempe propter eam unionem desit propria subsistentia; interim non sequi, quòd

dicta humanitas formaliter constituatur, ut carens hujusmodi propria personalitate, propter ipsam unionem ejusdem cum Verbo; quemadmodum à pari Mundus dicitur productus, quia DEUS illum voluit producere, nec tamen DEUS, ut volens, constituit proinde ipsum Mundum.

X. Supra advolutum hunc obicem ita procedimus. Si propria, seu creata subsistentia potest in puris hominibus haberi constitutivè per solam divisionem eorundem naturæ ab alio ente digniore, quod propter suam præstantiam dominetur tali naturæ, & hanc possideat, tunc supervacanea relinquitur alia entitas positiva, quæ præoccupetur aut cedat supervenienti unioni ad Personam Divinam. Sed ea subsistentia potest ita haberi constitutivè. Quid enim obstat? An paritas deducta ex DEO volente Mundum producere? Assumo argumentum. Si Decretum Divinum de Mundo producendo potest haberi per Terminationem DEO intrinsecam, ut idem Author alibi statuit, jam ex illa non tantùm argui debet formale constitutivum ejusdem Decreti, quà contingentis, nempe complementum aliquod extrinsecum Voluntati Divinæ liberè decernenti. Ergo, si formale constitutivum subsistentiæ propriæ potest haberi per negationem illam generalem, quam stabilivimus, jam ex illa non tantùm argui debet formale constitutivum naturæ, quà subsistentis, seu ulterius complementum positivum & substantiale, quod primùm fundet ac inferat hujusmodi negationem. Profectò non facile apparet, disparitatem afferre, quæ punctum formale retorsionis attingat, nempe ibi constitutionem DEI, ut liberè volentis, atque hîc constitutionem naturæ, ut subsistentis.

XI. Tertia ratio Conclusionis rursum descendit ex varijs Concilijs & Patribus universim docentibus; Christo nullam deesse proprietatem humanam, quæ ab Authore DEO hominibus sit insita, vel reprehendi non mereatur. Percipiamus vel solum Hipponensem, qui in Enchir. ad Laurent. c. 34. postquam hæc præmisit: *De quo Mediatore longum est, ut, quanta dignum est, tanta dicantur, quamvis ab homine dignè dici non possint*, postmodum subjungit sequentia: *Nihil humana natura in illa susceptione fas est dicere defuisse; sed natura ab omni peccati nexu omnimodo libera &c.* Subsumimus. Atqui deesset hujusmodi quædam innocua proprietas, si subsistentiam positivam & alijs hominibus insitam exclusisset Persona Divina humanam naturam assumens. Ergo subsistentia in alijs hominibus non est positiva, nec ita ijsdem insita. Quod enim nonnulli hîc posset occurrere, subsistentiam quoque negativam esse puris hominibus congenitam, jam diu præverterat Rusticus Card. in Dispur. cum Aceph. ubi ajebat, naturam humanam Christi nihil habere minus *in substantia & accidentibus*.

XII. Contra hoc argumentum duplici se clypeo communit memoratus

Author

Author, inprimis reponendo, proprietates aliquas exigi pro certo statu, & aliam proprietatum classem pro diverso statu. Sic enim Gratia sanctificans, quæ se habet per modum naturæ intra ordinem supernaturalem, exigit pro statu viæ Habitum Fidei Divinæ, pro statu verò Termini Habitum Luminis Gloriæ. Poterit igitur & natura humana exigere complementum aliquod substantiale pro statu separationis suæ à Persona Divina, quam tamen haud exigat pro statu unionis cum tali Persona. Adde, quòd proprietas significet qualitatem accidentalem, subsistentia verò positiva esset substantialis; vel si ad proprietates illas etiam reducas, quæ metaphysicæ vocantur, uti sunt *admirativum*, *risibile*, equidem nulla talis desiderabitur in Christo, quæ spectet ad veritatem naturæ humanæ; plus verò à Concilijs aut Patribus traditum supponi, non probari potest.

XIII. Resumimus illum. Hoc ipso, quòd Concilia & Patres affirment, Christo nihil deesse, quod in alijs hominibus ab Authore DEO plantatum sit, jam simul concludunt, neque diversam exigi proprietatem pro statu separationis à Verbo; item cùm tanta, talisque authoritas, non obstante notitiâ, quòd subsistentia positiva, si hujusmodi daretur, præverti aut eliminari deberet ab accedente unione ad Personam Divinam, nihilominus pronunciet, Christum esse natum *totum in nostris*, ut loquitur S. Leo Serm. 2. de Nativit. jam in aperto est, non dari talem proprietatem metaphysicam, vel complementum substantiale etiam in ratione suppositi, quod in alijs hominibus reperire sit. Opportunum erit, audire extempló Angelicum 3. p. q. 4. a. 2. ubi, cùm secundo loco sibi objecisset, *S. Damascenum dicere, quòd Filius DEI assumpserit ea, quæ in natura nostra plantavit. Plantavit autem ibi personalitatem. Ergo Filius DEI assumpsit personam.* deinde his luculentis verbis respondet: *Dicendum, quòd naturæ humanæ non deest propria personalitas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertinet, sed propter additionem alicujus, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad Divinam Personam.* Pronum verò est colligere, hiulcam futuram istiusmodi doctrinam, si personalitas positiva admittatur, atque adeò naturam substantialiter perficiens; hoc enim pacto, ubi DEUS factus est homo, non contigisset pura additio, sed etiam subtractio alicujus perfectionis.

XIV. Alter, quem dicebamus, clypeus insignitus est Mysterio Venerabilis Eucharistiæ, ex quo sequens Instantia depromitur. Juxta doctrinam asserentem, quòd desitio substantiæ panis & vini inferatur legitimè ex ipsa veritate verborum Consecrationis, jam hujusmodi Communicatio DEI ad extra per Eucharisticam Transsubstantiationem consistere nequit cum unione accidentium panis & vini respectu hujus gemniæ substantiæ. Quid igitur absurdi invehet subsistentia cre-

ata

ata positiva, quamvis illa consistere nequeat in sensu composito cum Personalitate Divina, seu communicatione DEI ad extra per unionem hypostaticam?

XV. Bene, si doctrina illa sic habeat, quod diffusiùs examinare, præsentis instituti non est; igitur eadem Divina authoritas, quæ nobis revelat desitionem panis, ut necessariam ad complendam vim verborum Consecrationis, simul manifestat, ut necessariam, ipsam destructionem unionis accidentium cum eodem pane; nam ea unio claudicare non posset ex una parte, seu esse vinculum unius cum altero, cujus tamen nulla foret existentia, ac idcirco nec passio. Ex adverso authoritas, quæ in tertia Conclusionis ratione stabilita est, simul evincit, nullam esse hujusmodi proprietatem à DEO Authore implantatam, quæ à Verbo assumi non potuerit, vel de facto assumpta non sit. Idem igitur fons authoritatis & aperit viam disparitati, & obstruit contrariæ Instantiæ robur. Præterea nec illud dissimulandum, quòd dicta unio accidentium panis cum suo subjecto substantiali neque requgnet summæ. Communicationi DEI ad extra relativè ad naturam humanam, cùm utique Mysterium Incarnationis dari absolutè potuisset, quin subsecuta esset institutio Eucharistiæ, ac *DEUS memoriam faciendo mirabilium suorum, seipsum daret in escam*, Ps. 110. Nam, si in novo hoc beneficio Divinæ Liberalitatis maximum incrementum agnoscis, nec *liberam* illius *largitatem* diffiteatis, necesse est. Imò neque illa unio colliditur cum summa communicatione DEI respectu naturæ panis, quam pariter assumi potuisse à Supposito Divino, & gratis negaretur, ac communiter possibilitas talis eventûs probatur ex Corpore Christi, cui etiam in triduo Mortis Verbum Divinum adhuc mansit hypostaticè unitum. An talis Communicatio locum inveniet circa subsistentiam creatam positivam?

SECTIO II.

Responsio ad Argumenta Recentioris pro Subsistentia creata positiva; & præsertim ex doctrina Joannis Theologi.

XVI. Opponit idem Clarissimus Recentior, & præcipuè Authoritatem Joannis Theologi, qui, ut longum illius discursum ad capita maximè controversa revocem, in ipso Concilio Florentino Sess. 19. contra Marcum Ephesinum nomine Ecclesiæ Romanæ disputans Hypostasin universim vocavit *substantiam*, *existentiam*, & *rem natura*, addendo, quòd

Suppo-

Suppositum per naturam, ut suam virtutem operetur; cæcus verò sit, oportet, qui non dispiciat, prædicata hæc nequaquam posse cadere supra puras, putas negationes? Confirmatur vel ex ipso nomine *Suppositi*, quod velut *fundamentum* naturæ sonat; hoc verò quomodo substare poterit magis ediuis reliquæ domûs partibus, si ipsa sit tantùm negatio, ac merum nihil?

XVII. Lustravi, nec alienis oculis, neque conniventibus, objectam Sessionem 19, tum proximè antecedentem Concilij Florentini. Sed ambæ adeò me non divulserant à concepta priùs opinione, ut pro hac potiùs suppetias exinde conscribi posse crediderim. Nam Joannes Theologus ibidem condit hanc Personæ definitionem, quòd nimirum illa sit: *Natura rationis capax incommunicabilis existentia*, ubi sanè, si non quid falsum, saltem redundans insertum esset, nisi salva, ratáque sit expositio, quam ministravimus n. 3. eâ verò inconcussâ, Joannem quoque Theologum sub nostræ sententiæ signis recensemus. Pro directa responsione juvabit priùs advertere, quòd Concilium Francofordiense in ep. ad Præs. Hispan. & cæteros ibidem Christianitatis nomen habentes col. mihi 7. personam compellet *rem juris*, substantiam verò *rem naturæ*. Unde, ut doctrina Joannis Theologi, Suppositum vocantis *rem naturæ*, cum priore effato concilietur, hoc illa in sensu, qui vel ex contextu Sessionis cit. satis elucet, exponenda venit, nimirum, quòd persona contrahat naturam genericè acceptam ad aliquid reale; vel eandem naturam reddat sui ac proprij juris, ac reipsâ dominantem elicitis à se actionibus. Subsumimus denuò. Atqui totum hoc satis habetur per divisionem illius naturæ ab alia substantia, quæ sit quasi totum totius, ac principium quod principale intimum operationum, & cui natura tanquam suo supposito innitatur; ipsa verò divisio satis habetur per eam, quam diximus, negationem unionis à tali substantia digniore. Insuper memoratus Theologus, ubi asseruit, quòd *Persona Jacobi per virtutem suæ naturæ, non verò hæc generaverit Joseph*, deinde subjungit: *Fieri autem non potest, ut ipsius Jacob substantia à Joseph substantiâ disjuncta non sit*. En ut repetitum toties axioma: *Actiones sunt suppositorum*, adhuc in nostra hypothesi ac plenè procedat ex eo, quòd natura, ut separatim existens, jam non sit virtus alterius substantiæ naturam illam possidentis, sed hæc potiùs tunc operetur per seipsam, atque eidem, ut vero Supposito, & tanquam principio, ut quod, adscribantur actiones, quas efficit.

XVIII. Confirmatio videtur nobis imputare, à quo longè absumus. Non enim ipsum Suppositum humanum constituimus in puro negativo, sed illud dicimus, esse ipsam naturam humanam, ut divisam ab alio ente perfectiore. Jam verò, quòd obliquum in hac denominatione Suppositi, seu ipsa, ut à Scholasticis nominatur, *suppositalitas* afferat meram negationem,

adeò nil absoni continet, ac si quis doceat, formam artificialem fundamenti, de quo loquebatur Objectio, constitui inadæquatè ex negatione, seu absentia certarum partium marmoris, quæ nisi resectæ fuissent, jam non prodirent lapides ad sustinendam fabricam undequaque quadrati.

XIX. Opponitur secundò. Quamvis natura humana possit substantialiter uniri Subsistentiæ Divinæ, & cum hac constituere unum substantiale subsistens, nihilominus eadem natura non potest substantialiter uniri Naturæ Divinæ, & cum hac constituere unam quamplam naturam. Ergo manifestum habetur signum, quòd natura humana non sit seipsâ substantialiter completa in ratione totius substantialis subsist entis, bene verò seipsâ in sua specie sit substantialiter completa in ratione naturæ. Confirmatur. Non suppetit modus operandi accidentaliter in substantia, nisi hæc jam sit completa per accidentale positivum complementum. Ergo nec suppetet modus operandi substantialiter in substantia, nisi hæc jam sit completa vel terminata per substantiale positivum complementum.

XX. Respondeo inprimis, argumentum hoc & Adversarijs negotium facessere. Quæro enim, an adeò majorem difficultatem pariat, quòd unum ens per se exoriatur ex duplici ente, cui utrique nihil substantiale ademptum fuerit, ac quòd unum ens per se exoriatur ex duplici ente, quorum unum completum sit, nempe Verbum Divinum, & alterum incompletum; quamvis tale concederemus esse, etiam in ratione substantiæ, ipsam naturam humanam, quando hæc sibi quoque relinquitur? Directè N. C. Ratio enim potiùs in præsenti est, quòd natura humana, licèt etiam intra compositum Theandricum non careat aliqua perfectione, quæ illi naturaliter competat, adhuc tamen virtute supernaturali ulteriùs compleri potuerit, & defacto à Persona Verbi ita completa sit, ut nempe evaderet pars Christi, atque natura non ampliùs sua, sed alieni ac Divini Suppositi. Neque hanc restrictionem juris proprij quisquam interpretetur, tanquam labem dignitatis in Humanitate Christi. En verba pulcherrima Doctoris Seraphici in 3. Sent. Dist. 5. q. 2. ad 2. *Ordinatio ad dignius, quamvis auferat rationem Suppositi, tamen non aufert dignitatis proprietatem. Meliùs enim est subesse Superiori, quàm præesse alicui inferiori; sicut perfectior est anima, cùm possidetur à DEO, quàm cùm possidet res creatas, & meliùs nubit Virgo nobilis, cùm contrahit cum Rege, cui subsit, quàm cùm contrahit cum rustico, cui præsit.*

XXI. Ad illud, quod Objectioni additum est, nimirum, quæ ratio è nostra etiam penu depromi possit, cur duæ Naturæ, Divina ac humana, coalescere non potuerint in unam quampiam naturam, reponimus, ex hac vitium irrogandum non uni tantùm Perfectioni Divinæ. Vel enim ais, ex geminis illis naturis, ut corruptis, ac trans-

transmutatis surrecturam unam tertiam naturam, quæ nec Divina foret, nec humana, sicut mixtum pronascitur ex elementis, & ecce sublatam Immutabilitatem Naturæ Divinæ! vel unam naturam conversam esse in aliam, quæ ortum traxerit ex desinente Naturâ Divinâ, aut hac incipiente, ubi altera destructa sit, & ecce pugnam cum Indefectibilitate Naturæ Divinæ! vel denique Naturam Divinam advenisse humanæ, ut hujus formam aut partem, & ecce ruinam Simplicitatis ejusdem Divinæ Naturæ!

XXII. Ad Confirmationem respondeo, negando Consequentiam. Ratio est, qnia substantia, si hanc quoad sua prædicata essentialia spectemus, neque frigida formaliter est, neque calida, sed potiùs sub ejusmodi præcisâ consideratione fundat privationem talium qualitatum, quæ proinde privatio non poterit rursus tolli per aliam negationem, sed per ens positivum subjecto substantiali inhærens. Deinde cùm substantiæ verisimiliter non producant accidentia ad extra, indigebunt principio accidentali activo ad disponendum passum, ex quo educi debent novæ substantiæ. E contrario, si virtus supernaturalis non adveniat, quâ Suppositum Divinum assumat naturam humanam, jam in hac ob ipsam ejusdem limitationem intelligitur fundata subsistentia negativa, ac insuper etiam producta, eo nimirum modo, quo produci possunt entia negativa; in quantum nempe talis humanitas ab alio ente digniore non assumitur; quamvis interea natura etiam, ut sic subsistens, remaneret perfecta, comparando eam scillicet cum accidentibus & substantiis incompletis, quibus non convenit ita subsistere. Accedit, quòd personalitas etiam creata positiva, vel ipsis Adversariis fatentibus, non esset physicè operativa, sed duntaxat terminaret principium activum; quid verò remoratur, ne rationem talis termini ipsi subsistentiæ negativæ attribuamus?

XXIII. Opponitur tertiò. Frequens etiam Patrum ac Theologorum sermo est, quòd subsistentia humana in Christo suppleatur à Subsistentiâ Divinâ. Vis autem hujus sermonis expleri non potest per meram negationem, sicut insulsè diceretur, quòd lux, ut unita aëri, suppleat tenebras, seu negationem lucis, quâ negatione datâ aër est tenebrosus, seu divisus à luce. Confirmatur. Ex eâdem Authoritate dimanat, quòd Persona personam possit consumere, non autem natura naturam, id, quod suo etiam irrefragabili calculo confirmat Concilium Francofordiense allegatum n. 17. In nostra verò hypothesi evenire posset & alterum; nam cùm ipsi quoque humanitati secundùm se desit negatio unionis cum Verbo, etiam hæc natura consumi posset, sicut ob proportionalem rationem consumpta dicitur in Christo persona humana.

XXIV. Respondeo ad priorem partem objectionis, quòd siquidem hæc sententiæ nostræ periculum creet, Ad-

versarios iterum in eâdem versari nobiscum navi. Edicant quippe ipsimet, an Persona Verbi suppleat in Christo subsistentiam, quam in puris hominibus latere prætendunt, positivam & substantialem, ac hujus quasi vices obeat, vel an negent hujus sortis supplementum? si alterum, quid ergo nos minùs tenaces ajunt receptæ Patrum Doctrinæ? si verò primum enuntient, ita instamus. Subsistentia illa positiva reddidisset humanitatem, ut suiipsius propriam, per se stantem, & ab alio ente perfectiore jam radicaliter divisam, principium quod operationum Suppositi, paucis, veram personam humanam. Præsente verò personâ verbi humanitas Christi est juris alieni, existens in alio ente digniore, quod, ut diximus, est principium principale intimum operationum Christi, humanitas autem est ejusdem principii instrumentũ ac organum conjunctum, quamvis hæc natura, etiam ut carens propriâ subsistentiâ, non proinde reducatur ad statum violentum, nisi quis somniaret, talem statum emergere ex privatione certi boni, quod compensatur per excessum infinitum, aut violentum esse ipsum maximæ felicitatis centrum. Non igitur in ullâ sententiâ potest Verbum divinum dici alio supplere modo personam humanam, nisi quòd hanc excludat, & illa sit Persona hujus hominis, qui est, ac vocatur Christus.

XXV. Hinc quoad Instantiam patet, non esse similem combinationem lucis ad tenebras, sicut tamen Personalitas Divina & humana conveniunt in ratione existendi per se, quamvis ea ratio diversis respectivè ex capibus derivetur, ut animadversum est n. 5. Quin assumo, si quæ ibi reluceat, paritatem. Lux non aliter potest dici supplere tenebras, nisi quòd has dispellat, vel excludat. Ergo nec Persona Divina aliter potest dici supplere personam creatam, nisi quòd hanc impediat vel excludat. Si plus inferatur, ostensum jam est n. præcedente, ictum Authores suos petere, vel neque nostram hypothesin lædere.

XXVI. Ad Confirmationem respondeo, objectam consumptionem personæ & contra Adversarios militare. Nam entitas consumpta, siquidem illi strictam significationem ita urgeant, debuit præexistere ante sui consumptionem. Igitur fatendum esset, complementum illud substantiale, quod cum subsistentiâ creata positivâ ajunt esse terminum convertibilem, jam priùs dari debuisse, antequam superveniret humanitati unio hypostatica. Sed quomodo deinde salvaretur Sacratissimum illud elogium, quo Magna DEI Mater condecorata est in Concilio Ephesino c. 13. *Sancti Patres non dubitaverunt Sanctam Virginem dicere Theotocon, quòd ex eâ natum sit Sacrum illud corpus, animatum animâ rationali, cui substantialiter adunatum DEI Verbum, carnaliter natum esse dicitur*, si nempe Virgo beatissima genuisset purum hominem, quia concurrendo, ut mater, ad humani-

manitatem jam terminatam propriâ subsistentiâ? Quòd si consumptio illa denotet solam exclusionem personalitatis propriæ, jam rursus ab intentato jaculo immunis est subsistentia, quam tradidimus, negativa; nam & hæc consumi, quia excludi potest. Cæterùm ipsam etiam naturam, quà talem, seu humanitatem in abstracto acceptam non ita posse consumi, clarissimum undequaque est, nam ea sub tali consideratione non constituitur per negationem unionis cum ente digniore, sed per sua prædicata positiva, inter quæ etiam est, potentia obedientialis passiva, ut humanitas illa assumatur hypostaticè per altissimum favorem, quem ea quidem non exigit, sed nec positivè, ut ita loquar, tam eximiæ gratiæ contranititur. Difficiliùs his se extricat adversa Sententia. Cur enim natura humana non dici posset consumpta in Christo, siquidem illi deesset complementum substantiale positivum, quod naturam illam intrinsecè perficeret, ac esset modus realis ab eâ verè habitus & possessus?

XXVII. Opponitur quartò. Ipse Angelicus contrariæ opinioni non obscurum offert patrocinium. Excerpamus unum vel alterum, quem major veri species circumdat; licèt & illi viam nobis straturi sint ad reliquos impunè transeundos, vel, quod ajunt, levi manu ad castra nostra perducendos. Itaque S. Thomas q. 9. de Potent. a. 2. hæc scribit: *Persona significat naturam cum quodam modo existendi, qui modus est per se existens.* Atqui *perseitas* ista intelligi nequit, nisi per modum substantialem subsistentiæ creatæ positivæ, ac ipsi naturæ, quæ sibi relinquitur, physicè intrinsecum, ergo &c. Similia leguntur l. 4. contra Gent. c. 4. ubi S. Magister noster inquit, *substantiam dici dupliciter, scilicet de subjecto in genere substantiæ, quod dicitur hypostasis, & de eo, quod quid est, quod est natura rei.* Atqui hîc iterum subsistentia creata reponitur in classem entium substantialium, ergo &c.

XXVIII. Respondeo ad priorem textum, negando Minorem. Interpretem & Vadem legitimi sensûs non alium accersimus, quàm ipsum Angelicum. Hic in eâdem Q. de Pot. a. 1. ad 4. ita pronuntiat: *Substantia ex hoc dicitur subsistere, in quantum non est in alio.* Porrò perseitatem, seu modum existendi per se, non haberi in creatis per complementum positivum naturæ superadditum, satis superque commonstrabitur n. 30. ac interim desumitur ex l. 1. contra Gent. c. 25. ubi traduntur sequentia: *Hoc, quod dicitur per se, non importat, nisi negationem tantùm. Dicitur enim ens per se ex hoc, quòd non est in alio, quod est negatio pura.* Et quamvis S. Doctor utatur illis verbis ad palàm faciendum, quòd in DEO non sit compositio actualis generis & differentiæ, in quantum ille nec est in genere substantiæ, nec accidentis, nihilominus hoc saltem exinde erui fatendum est, quòd contra mentem Angelici non tendat per-

seitas negativa, à quâ substantiæ creatæ denominentur secundùm obliquum, ut per se stantes, quatenus non sunt in alio perfectiore.

XXIX. Ad alterum textum denuò negamus Minorem, ac scire percupimus ex Adversariis, an illi contendant, hypostasin creatam ita esse substantiam, ut hæc sit extra adæquatam constitutionem naturæ? vel an naturam quoque admittant, ut partem hujus concreti: *Hypostasis creata?* Si primum, jam pars incedet æqualis toti, ac personalitas creata, quæ est forma denominans personam, erit integra denominatio, & complementum absque eo, quod compleatur. Si secundum. Ergo & nostrum forum ritè adjudicat hypostasi creatæ rationem substantiæ, in quantum Persona quoad rectum importat ipsam naturam. Igitur & juxta nos Suppositum est substantia. & quidem prima, seu prout opponitur substantiis secundis, idest, rationibus prædicamentaliter genericis, Itaque S. Thomas eodem constanter tramite decurrit, quem solidis ejusdem vestigiis signatum statim pandemus.

XXX. Ita est, quod gravissimo suo judicio comprobavit A. R. P. Thyrsus Gonzalez Tom. 3. Theol. Disp. 26 sect. 4. §. 2. nempe S. Thomam Conclusionis hucusque à nobis propugnatæ *manifestum esse assertorem non minùs, quàm Scotum.* En unicum, vel geminum specimen, ex quo cætera discamus! *Hoc*, inquit Angelicus in 3. Dist. 6. q. 1. a. 2. ad 5. *quod facit conjunctum ex animâ & corpore esse hominem, non est præter animam & corpus & unionem aliquid positivè: sed ex hoc ipso, quòd ipsum compositum ex animâ & corpore non adjungitur alteri subsistenti in naturâ compositâ, sequitur, quòd conjunctum sit homo. Unde si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, eo ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis.* Item 3. p. q. 2. a. 3 ubi cùm sibi objecisset Aquinas secundo loco, *quòd in Christo sit quædam alia substantia particularis præter hypostasin Verbi, scilicet corpus & animam, & compositum ex eis; igitur in eodem Christo futurum quoque aliam hypostasim præter hypostasim Verbi*, deinde hoc tenore respondet: *Humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis; quia tamen venit in unionem cujusdam completi, scilicet totius Christi, prout est DEUS & Homo, non potest dici hypostasis vel suppositum.* Obsecro, an potuisset S. Thomas clarioribus verbis vel modò paginæ huic subscribere?

DIF-

DIFFICULTAS. II.

Subsistentia Divina absoluta.

SECTIO I.

Infertur ex stabilitis Principiis Subsistentia absoluta in DEO.

XXXI. NOn opportuna modò, sed penitus necessaria videbatur Difficultatis hujus enodatio, ut nempe stabilita hactenus Principia neque suo carerent propugnaculo ex eâ parte, quâ aliud Mysterium contingunt, nimirum SS. Trinitatis. Non itaque inviti eam abimus in sententiam, ex illis bene inferri ac ritè concludi Subsistentiam Divinam absolutam & essentialem, quæ tamen sit communicabilis, quin de facto per identitatem communicata tribus Personis ac Subsistentiis Relativis. Conclusio hæc partim decidit Quæstionem de re, quantam præsens Elucubratio deposcit, nempe ea tantùm decerpendo ex aliorum Tractatuum argumentis, sine quibus Mysterium Incarnationis suam nondum in lucem se diffunderet & partim litem de modo loquendi, qui tamen ipse, ac præsertim, si altissimos hosce Fidei nostræ Apices pro virium mensurâ dimetiamur, tam circumspectam exigit lineam, quàm castigatam limam. Nos utrumque hujus quæstionis & litis caput sequente Discursu complectimur, & evolvimus.

XXXII. Essentia DEI absoluta excludit ratione sui, seu ut præcisa à subsistentiis Relativis, omnem imperfectionem. Ergo etiam illi, ut ita considerata, repugnat esse in alio, tanquam partem in toto, aut formam in subjecto, vel insuper, tanquam naturam in supposito ab eâ realiter distincto. Antecedens est apertissimum; Non enim potest *aliqua imperfectio* simul consistere cum suo contradictorio, quale respectu illius est, *nulla imperfectio*; talem verò carentiam omnis imperfectionis affert ipsa Essentia DEI absoluta, quod est *Pelagus substantiæ infinitum*, ut loquitur Nazianz. Orat. 38. de Nativ. Consequentia sic probatur. Esse actu vel potentiâ in alio per unum ex iis tribus, quos notavimus, modis arguit indigentiam accipiendæ à comparte ulterioris perfectionis, vel necessitatem materialis sustentaculi, aut defectum ex aliquâ potentialitate contrariâ actui purissimo. Subsumimus. Sed Essentiæ

tia Divinæ absolutæ, quatenus tali, repugnare hujusmodi existentiam in alio, est pariter, eandem Essentiam subsistere. Ergo hæc ita considerata subsistit, non quidem Subsistentiis Relativis, utpote à quibus etiam præcisa adhuc intelligitur excludere recensas imperfectiones; igitur subsistentiâ absolutâ seu communi tribus Personis. Minor subsumpta profluit ex discussis in 1. Difficult. quia nempe cæteroquin illa duo prædicata in conceptu Personæ apposita: *Incommunicabile* & *Subsistens*, non retinerent correspondentes sibi diversos, quos denotant, effectus formales, ut loquimur, quinimmo præter conspicuam adeò Authoritatem sequente numero exhibendam, vel ipsum etymon nominis illud abundè prodit; nam *subsistere* idem est, ac *per se stare*, *in seipso ac per seipsum esse*, *habere seipsum*, quod utique Divinæ Essentiæ, etiam quâ tali, denegandum non est, si hoc absque incommodo aliunde impendente eidem attribui possit, ita scilicet, ut illa primò subsistat in seipsâ, ac primò habeat seipsam, atque, ut præcisa à Personalitatibus, adhuc denominari possit non tantùm summè singularis, sed etiam Substantia completa, ac Divinitas subsistens.

XXXIII. Probatur Conclusio secundò Authoritate sextæ Synodi Gener. Act. 4. ubi in Professione fidei Romanæ approbatâ & receptâ ab universo illo Concilio hæc inserta lego: *Confitemur DEUM Patrem, DEUM Filium, DEUM Spiritum Sanctum; non tres DEOS, sed unum DEUM; non trium nominum subsistentiam, sed trium Subsistentiarum, seu trium Personarum unam subsistentiam*, quâ veritate suppositâ, hoc argumentum construimus. Juxta recitatam fidei Professionem dantur tres subsistentiæ in DEO, & simul una. Sed hæc una esse nequit, nisi absoluta & communis tribus Personis. Ergo hæc absoluta & communis datur.

XXXIV. Præsidio hîc locum aperire satagit culpa in Librarios & Typographos conjecta, quorum nempe, vel oculorum sinistrè legentium, vel manuum litteras prælo aptantium errore nomen *Subsistentiæ*, quo allatus textus clauditur, subrogatum sit genuinæ voci *Substantia*; cujus haud vanæ suspicionis ansam præbent vel ipsa tempori nostro propinquiora ejusdem Concilij exemplaria, quæ secundam hanc vocem exprimunt; & profectò aliàs videtur minùs conveniens, quòd Pontifex Agatho ibidem loquens intra eundem omnino contextum bis usus sit nomine *Subsistentiæ*, sed tamen in diverso utrobique sensu, ut ratiocinatur P. Vasquez in 1. p. Disp. 125. c. 5.

XXXV. Verùm opponimus Scholam Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium, atque ex nostris Doctorem Eximium Tom. 1. in 3. p. Disp. 11. s. 3. addentem insuper, Conclusionem nostram ferme omnium Theologorum communem esse. Hi & tot Authores constanter legunt & allegant nomen

nomen *Subsistentia* ad calcem testimonij positum, quod n. præcedente retulimus. Hi unanimes perhibent, standum potiùs fide antiquorum exemplarium. Hi omni procul absurdo esse affirmant, si Pontifex eâdem voce bis usus sit, sed in diverso significato, cùm etiam duplicis sortis sit subsistentia, alia nempe communicabilis, & alia incommunicabilis, atque illa Essentiam Divinam, ut per se stantem; hæc verò Personam importet; ubi neque prætermittendum apparuit, quòd Pontifex signatè adjungat circa priorem significationem: *Trium Subsistentiarum, seu trium Personarum*, qualis sanè declaratio jam discriminat tres Subsistentias Divinas Relativas ab unâ, quam deinde expressit, *Subsistentiâ*, nempe absolutâ & communi, ac quæ proinde nondum afferat rationem Personæ.

XXXVI. Conferunt & sua suffragia supremi Theologiæ Principes. S. Augustinus l. 7. de Trin. c. 4. & 5. non minùs attribuit Divinæ essentiæ ly *subsistere*, quàm ly *sapere*. Sapientiam verò esse prædicatum absolutum, dubitare non licet. S. Dionysius Areopagita c. 2. de Divin. Nomin. inquit, quòd Bonitatis Divinæ subsistentia sit *ipso esse*, quasi diceret. ratione essentiæ, ut commentatur Eximius l. cit. huc etiam reducens alios sanctos Patres, qui dum ex ratione substantiæ in DEO colligunt Subsistentiam, nil aliud docere intendunt, quàm Substantiam infinitè perfectam eo ipso esse primariò suam, ac in seipsâ stantem, sive subsistentem; hujusmodi verò Substantia, ut concipiatur, decens est, ipsa Essentia Divina secundùm se. Scotus in 3. Dist. 5. q. 1. nitidè asserit, *Naturam Divinam, quamvis non habeat subsistentiam incommunicabilem, sicut persona, habere tamen communicabilem*; & Quodl. 4. a. 2. §. *aliter* vocat eam Essentiam *rationem subsistendi*; atque Quodl. 5. a. 3. ad 1. hoc *subsistere* distinguit ab ipso *subsistere Personalitatum*, quæ sunt *rationes incommunicabiliter per se essendi*. Porrò S. Thomam pariter se Fautorem nobis associare, in propatulo est ex I. Diffic. ubi ostendimus, Angelicum pro eodem sumere ly *subsistere*, ac per se stare, cujus nominis significatum & vis adhuc abstrahit à communicabilitate vel incommunicabilitate. Redimus modò ad præsentis Controversiæ utrumque caput. Sed in lite de modo loquendi cum pluribus, iisque potissimis sentiendum; in quæstione autem de re, jam perspeximus, mensuram quoque hujus nominis *Subsistentiæ* ab Essentiâ Divinâ adimpleri, ergo &c.

XXXVII. Confirmatur *ad Hominem*. Vel subsistentia absoluta non posset in sensu assignato & hucusque deducto accipi eapropter; quia illa hoc pacto confunderetur cum Existentia DEI? vel quia Essentia Divina, quà talis, etiam evaderet Persona, quod foret, in Divina Mysteria invehere Quaternitatem Personarum. Neutrum sequitur. Non primum, quia per nomen *existentiæ* duntaxat intelligitur illud esse, quod res habet, ut sit aliquid *in*

ctu. Unde & Humanitas Christi, quantumvis careat propriâ subsistentiâ, nihilominus intelligitur adhuc, ut natura habens propriam existentiam. Sed neque secundum. Nam Essentia Divina est infinitè fœcunda, ac per consequens communicabilis. Igitur illa, ut sic spectata, non continet principalem & ultimam rationem constituendi Personam, qualis ratio in Divinis est ipsa incommunicabilitas, ex opposito autem respectu Essentiæ creatæ, quæ ob limitationem in suâ perfectione jam redditur incommunicabilis, explicata *Perseitas existendi.* Hinc occupatum manet & illud levius, quòd Essentia Divina saltem in nostris principijs dici posset *Persona incompletè talis*, eò quòd, licèt incommunicabilis, sit tamen subsistens. Egregiè. Ergo & leo substratus eidem generi *animalis*, atque non minùs *vivens sensitivum*, quàm homo, appellari etiam valebit *Homo incompletè talis.* Vel si Adversarij huic instantiæ manus non dederint, replicantes, Leoni deesse ultimum determinativum formale ad esse hominem, intellige *rationalitatem*; etiam nos similis replica non destituit, nempe Divinæ Essentiæ deesse hujusmodi determinativum ad esse Personam, intellige quoad Divina, ut ostendimus, *incommunicabilitatem.*

SECTIO II.

Discutiuntur, quæ contra Subsistentiam absolutam in DEO opponi possent ex Mysterio Incarnationis.

XXXVIII. NOn ingredimur tenui nostrâ phaselo altum Mysterij de SS. Trinitate Oceanum, sed eò potiùs virium remos intendimus, ac Divinæ Sapientiæ auram capimus, ut, quod præ manibus est, Incarnationis Mysterium securi transeamus, quamvis ambo argumenta ita sint conтermina, ut qui à priore se penitus remotum velit, neque alterius penetralia, quantum homini licet, tutò subire possit. Opponi itaque posset primò cum celebri nostro Theologo, P. Simone Felix ex Myst. SS. Trin. olim in Universitatibus Friburgo-Brisgoica & Ingolstadiensi ab eodem propugnato Authoritas sextæ Synodi Generalis, ex quâ ipsâ Conclusioni nostræ invictum robur addere studuimus n. 33. Habe memoratæ Synodi verba: *Neque secundùm quod Trinitas unus Deus agnoscitur, & subsistentia tres & tres Personæ, Pater, Filius & Spiritus S. dicitur contractus vel compositus vel confusus, & in unam se colligens subsistentiam, in unámque coërcens non numerabilem Personam.* Atqui hîc apertè negatur Subsistentia Divina absoluta,

ta, seu conveniens DEO, ut uni; unde & corruant, necesse est, substructiones illæ, quibus ex conceptu Personæ & subsistentiam creatam positivam eliminare, atque subsistentiam comunem in DEO asserere laboravimus. Confirmatur. In nostrâ Hypothesi si nō brutū, saltem minùs robustum esset hoc Fulmen ex citatæ Synodi armamentario depromptum contra Hæresin Sabellij; iste enim tergiversari adhuc potuisset, quasi non adeò extra veri dogmatis orbitam saltitaverit, cùm unicam in Deo Personam adstrueret, Theologos siquidem orthodoxè sentientes Subsistentiam tamen Divinam absolutam admittere, ex hac verò unicam pariter Personam inferri.

XXXIX. Respondeo, iterum iterúmque acclamando textum, quem ex eadem Synodo in rem nostram convertimus n. 33. Quapropter cùm Theologiæ, cui à Scholasticâ methodo nomen, princeps negotium sit, Fidei nostræ Dogmata concordi Sacris Concilijs viâ ubique deducere, neque his secum ipsis pugnam irrogari permittere, explano oppositum in speciem testimonium hac sanè æquivalente periodo: SS. Trinitas, eò, quòd sit unus DEUS, non tamen excludit Triadem Personarum, neque coalescit in unam ejusmodi Subsistentiam, quæ tollat tres Subsistentias relativas, atque harum numerum coërceat in unam duntaxat Personam. An tanquam pro favore hîc sibi collato jure exultet Sabelbellius, & alterum rursus, ut impiè jactaverat, se Moysen venditet? Sed unam gentium aut locorum hîc favor? An quòd statuatur in DEO una Subsistentia absoluta? At Sabellius eam talem esse contenderat, quæ everteret tres Subsistentias relativas, atque DEUM simul redderet Personam; & hanc unicam, ut testes sunt Epiphanius Hæres. 57. & Bellarminus Tom. 2. Controv. l. 4. c. 9. An potiùs, quòd non exerret toto veritatis ambitu unitas Subsistentiæ? Enimverò. At si Subsistentiæ nomen sinceri Theologi linguâ ac mente insonet, & non Sabellij, vel illius in hac parte asseclæ Michaëlis Serveti sensum redoleat, id volentem, quòd detur in DEO Subsistentia unica, quæ tres Personas confundat, atque has absque superstite numero coërceat. Imò ex hac primâ Objectione ita proficimus. Si per impossibile DEUS foret Persona unica, nunquid omnes in hoc conspirarent, quòd DEO essentialis sit tam ratio subsistendi, quàm ipsa incommunicabilitas? Ergo in verâ Hypothesi, si Essentiæ Divinæ attribui possit ratio subsistendi, quin illa evadat Persona, eáque unica, planè hæc debet attribui, ut hoc modo Essentia ratione sui non tantùm relinquatur id, quo aliquid est, sed etiam, quod est, seu substantia completa ac infinitè perfecta in ratione substantiæ. Ex quo affatim responsum quoque est ad Confirmationem ejusdem Objectionis.

XL. Opponitur secundò Authoritas S. Damasceni. Nam posteaquam laudatus Author congesserat SS. Patres à Ruizio nostro citatos, fatetur inge-

ingenuè, se nullum satis clarum deprehendisse, qui præsentem Spartam adornaret, præter Damascenum, qui l. 3. de Fide c. 6. ita disertissimè proloquitur: *Essentia per se non subsistit, sed in personis tantùm consideratur,* Collabatur itaque, oportet, compages nostra in pangendis conceptibus Personæ & Subsistentiæ.

XLI. Evolvi, quâ poteram, industriâ objectum caput, ac ibidem reperi hæc verba immediatè præposita illis, quæ antecedente numero recitavi: *Persona id, quod commune est, unà cum propriâ ac peculiari suâ notâ habet; idque præterea, quòd per se subsistit;* ubi sermonis scopus est Persona humana, vi cujus ratio Logicè communis ipsius humanitatis contrahitur ad determinatum individuum, ac ita haurit incommunicabilitatem, quæ ex apparatu accidentium individuantium colligitur, ac insuper superaddit, ut ex textu modò relato inclarescit, Subsistentiam, seu separationem ab alio, puta per unionem. Ne autem quis existimet, nos ipsos finxisse nobis, quâ opus habebamus, expositionis seriem, en verba locupletis Commentarij supra oppositum textum: *Substantia verò, ut humana, secundùm seipsam, & in suâ communi ratione considerata, non est hypostasis, ut Petrus & Paulus, sed in unaquaque hypostasi integra, perfectâque salvatur & consistit.* Num ab hoc abludit Conclusio nostra? quàm ovum scilicet ab ovo. Humanitas etiam juxta nos, ut accepta in prædicatione illâ universali, adhuc abest à ratione hypostasis, quia ea natura adhuc communis est; imò nec illa, si concipiatur contracta ad naturam singularem, evadit persona, si careat tali integritate, quâ persona debet in seipsâ stare, seu non esse pars totius dignioris. Possem & illius meminisse, quod idem S. Doctor inquit, in suâ Dialectica c. 42. *Interdum hypostasis dicitur, qua per se est, ac seorsim subsistit,* intellige rursum in humanis, ubi ratio ita separatim existendi determinat ad rationem hypostasis; sed ad magìs salebrosa transeundū. Illud pro colophone addiderim, in Objectionis loco essentiæ quidem humanæ denegari rationem subsistendi, non autem parallelon in hoc duci ad Essentiam Divinam, quin, si nostra interpretatio assumatur, & Mysterium Incarnationis, de quo ibi disseritur, expeditiùs enodari, atque S. Damasceni mentem alibi expositam magìs sibi ubique concolorem servari.

XLII. Opponitur tertiò. Concessâ aliquando Subsistentiâ absolutâ in DEO, pariter admittendum esset, quòd his DEUS, ut subsistens per memoratam Subsistentiam, posset immediatè assumere naturam humanam. Nam illa infinita est, igitur & capax, ut sit ratio subsistendi in naturâ alienâ, sicut ita capax est Subsistentia relativa. Sequela autem non potest admitti, ut probatur. Vel enim in tali eventu consequeretur unio hypostatica, seu in Personâ, vel non? Si primum. Ergo Subsistentia absoluta superinducit etiam rationem Personæ, adeóque plena victo-

victoria est penes Adversarios. Si verò alterum. Ergo daretur tunc homo, qui tamen non foret persona; item unio hypostatica absque proportionali hypostasi, quorum utrumque per se falsum est, & absonum.

XLIII. Respondeo, concedendo Sequelam Majoris. Si enim DEUS per illam Subsistentiam absolutam subsistit in seipso, cur per eandem nequeat subsistere in natura aliena? Ad probationem Minoris dico, unionem illam fore hypostaticam & in Persona, sed mediatè atque ex consequenti, in quantum nempe ex hoc ipso, quòd Subsistentia absoluta sit communis tribus Personis, etiam ex vi illius tres istæ Subsistentiæ incommunicabiles conjungerentur mediatè humanitati ita assumptæ. Quapropter tunc ille homo esset Persona, eàque triplex non quidem ex vi Subsistentiæ absolutæ, sed trium Relativarum.

XLIV. Opponitur quartò. Si daretur in DEO quarta, seu absoluta Subsistentia, jam non remanerent tres Subsistentiæ relativæ. Sequela profligatur à Sacris Concilijs definientibus, quòd Pater, Filius, & Spiritus S. sint tres Subsistentiæ, sicut totidem Personæ; atque aliàs jam delineret admirabile illud Connubium Personæ Verbi cum natura humana, eo ipso, quòd Verbum non remaneret esse Persona ratione sui, ergo &c. Probatur itaque Major. Nam dictæ Personæ jam nanciscerentur rationem subsistendi ab Essentia Divina; novas verò rationes subsistendi inducere idem foret, ac animæ rationali hominis addere aliam animam vegetativam, vel, quod ajunt, albedini albedinem, actioni actionem, & unioni unionem cum vertigine continua multiplicationis in infinitum.

XLV. Respondeo, abstinendum inprimis eâ formulâ loquendi: *Quarta Subsistentia.* Nam sicut essentia, quamvis sit res absoluta, non est tamen quarta res à Personis; quæ ab Angelico 1. p. q. 30. a. 1. in c. dicuntur *plures res subsistentes*, ita Subsistentiæ relativæ erunt tria, quæ unum sunt, non tamen aderunt quatuor, ut benè ponderavit Eximius l. cit. Ex quâ Aquinatis authoritate suppeditatur etiam retorsio manifesta in Prædicato *rei*, quod habent Personæ Divinæ, tam quatenus sunt unus DEUS, quàm tres Personæ inter se distinctæ. Sed directè Nego Sequelam Majoris. Ad hujus probationem reponimus ex dictis, quòd Personæ Divinæ, licèt jam sint hoc absolutè subsistens, quatenus sunt unus DEUS, exigant tamen etiam ratione sui, seu ut virtualiter distinctæ ab essentia Divina, non advenire alteri, ut pars, aut forma informans &c., non obstante, quòd simul habeant, unde à sese mutuò distinguantur. Quibus verò convenit hic conceptus subsistentiæ, illæ etiam sint subsistentes, necesse est. Porrò conglomeratæ ex Instantiæ multiplicium sine fine animarum, actionum & unionum suâ abundè superfluitate se refutant. Sed quæ in casu nostro similis superfluitatis umbra? Hic potiùs proba ratio

 dictat,

dictat, neque Essentiæ Divinæ ob plenitudinem suæ perfectionis denegandam esse rationem subsistendi, ut patefecimus n. 32. neque à Personis Divinis, quatenus hæ sunt tria incommunicabiliter terminantia Naturam Divinam, removeri debere perfectionem in ea linea possibilem, qualis relucet in ratione Termini pariter subsistentis.

XLVI. Tria adhuc supersunt, citiùs percurrenda. Primum petitur ex recepto illo Axiomate: *Quæ dispersa sunt in inferioribus, hæc collecta reperiuntur in superioribus; neque in his dividenda, quæ in illis conjuncta.* Infra DEUM verò nullum ens habet duas Subsistentias. Ergo nec plures erunt in DEO. Secundum. Essentia Divina, quà talis, adhuc intelligitur exigere tres Subsistentias relativas, tanquam perfectiones sibi debitas. Ergo illa nondum intelligitur Substantia completa, & idcirco nec subsistens. Tertium. Effectus formalis, qui tribui juxta nos deberet à Subsistentia, jam confertur Essentiæ à summa illius Simplicitate. Ergo frustra disputatum.

XLVII. Respondeo, Axioma illud, si quis hoc velit, ut in præsentis Difficultatis circo quatuor omnino currat pedibus, eversuram quoque Fœcunditatem DEI ad intra, in quantum admittenda foret unica Persona Divina, sicut quilibet Angelus vel homo non est, nisi unica Persona. Hinc directa responsio elicitur, divisionem illam, si quæ hîc occurreret, non faciendam in superioribus; quando horum perfectio eam non exigit, inferiorum autem imperfectio, seu limitata perfectio eandem non excludit. Constat verò, nullam creaturam posse per identitatem esse intrinsecam pluribus inter se realiter distinctis, nec etiam venire in compositionem totius, quin deperdat rationem subsistendi. Ex adverso Divina essentia ita communicatur tribus Personis, ut nec illa propterea, nec istæ deperdant hoc excellentiæ munus, nempe rationem subsistendi, quemadmodum ex proportionali perfectione tam Essentiæ, quàm Personalitatum deduximus n. 45.

XLVIII. Alterum profundiùs subit Arenam Mysterij de SS. Trinitate, cui tamen nos hîc immittere, jam priùs consultò renuimus. Satis sit, interea notâsse, & hoc telum ab Adversarijs propulsandum. Nam utique Essentia Divina secundùm se infinitè perfecta est; quomodo igitur stat, illam adhuc exigere tres Perfectiones relativas? nimirum; ut pauca ex dicti Mysterij promulside delibemus, quia ipsa Essentia Divina est quasi radix relationum, neque ullâ accessione fieri potest major vel melior substantia, simpliciter loquendo; cum quo tamen bene componitur, quòd Essentia Divina adhuc exigat compleri extensivè per tres terminos incommunicabiles &c.

XLIX. Quoad ultimum grates referimus Adversarijs, si illi contendant, Simplicitatem Divinam non posse salvam esse, nisi tribuat simul denominationem

tionem, in qua rationem Subsistentiæ collocavimus; quod nihil aliud foret, quàm controversiam in re nobis adjudicare, & in quæstione nominis tantisper dissentire. Deinde, si Angelicus 1. p. q. 3. a. 7. infert Simplicitatem Divinam præcipuè ex hoc, quòd DEUS sit Prima Causa efficiens, ac eapropter venire nequeat in compositionem aliorum, ut Anima Mundi vel primi Cæli, aut sicut materia universalis rerum omnium &c. cur non ex Simplicitate Divina licitum quoque esset inferre subsistentiam absolutam in DEO? Sed neque denominationes illæ formaliter coincidunt. Nam Simplicitas concipitur, *ut negatio compositionis realis*, Subsistentia verò, ut *ratio per se standi*, quam rationem Essentia DEI non primùm debet, verba recito Exim.. j l. cit. *emendicare à Suppositis Divinis*.

DIFFICULTAS III.

Constitutio Unionis Hypostaticæ.

SECTIO I.

Num spectet ad Puritatem Verbi Divini, communicare se naturæ humanæ sine unione ab his extremis distincta?

L. ACriter hìc pro focis suis decertat Schola Thomistica, imò & pro Aris. Pro focis quidem, quia unio hypostatica modalis, Personæ Verbi ac humanitati superaddita, non cohæreret cum principijs, quæ illi in Philosophia præmittunt circa vinculum unionis animæ rationalis cum materia prima intra compositū humanum; pro Aris verò, quia talis unio hypostatica non servaret illæsam Puritatem Verbi Divini, neque satìs recederet ab errore Nestorij, solam moralem unionem inter Verbum Divinum ac humanitatem Christi vel ex eo capite statuentis, quòd vera unio physica inter hæc extrema impingeret Enti purissimo rationem subjecti itidem physici. Absit tanta *abominatio stans in loco sancto*. Matth. 24. Sed ne cassis tantùm verbis pugnemus, breviter contemplabimur, quæ vel Thomisticæ Scholæ Antesignani in suorum Voluminum quasi pharetris reposita nobis transcripserunt, vel Recentiores exacuerunt tela; haud enim licuerat penitus conticescere, ubi & puritas, atque ut videbimus in Sectione tertia hujus Difficultatis Immutabilitas etiam Divina periclitari videtur.

LI. Dicimus igitur, Unionem hypostaticam esse entitatem à suis extremis

mis physicè distinctam, nempe ab Humanitate, cui subjectivè physicè, atque à Persona Verbi, cui purè terminativè intrinseca est. Conclusio hæc, in Schola nostra communis, ita probatur. Ubi est signum evidens distinctionis realis, ibi & hujusmodi distinctio. Sed tale signum est quoad unionem hypostaticam, ut à suis extremis physicè distinctam, nempe separabilitas eorundem extremorum, etiam ut realiter sibi coëxistentium, à controversa unione. Procul dubio enim dari potuisset hæc numero humanitas, quæ de facto constituit Christum, quin tamen Persona Verbi, cujus existentia necessaria est, fieret caro, vel saltem loco hujus Personæ Spiritus S. assumeret naturam humanam, in quo utroque eventu adhuc coextitissent sibi tam Persona Verbi, quàm dicta humanitas, & tamen non adfuisset unio hypostatica inter illa extrema. Confirmatur. Vel unio hypostatica, ut inadæquatè identificata cum Verbo, esset hujus Prædicatum aliquod necessarium, vel potiùs ab omni necessario contradistinctum? Neutro modo satisfit. Non primo, quia *fieri carnem* utique contingenter advenerat Verbo, atque hoc retineret augusta sua nomina, quibus in sacris Litteris concelebratur, nempe Filij, Imaginis, & quod diximus, Verbi, quamvis Mysterium Incarnationis consecutum non esset. Sed nec altero modo. Nam Prædicatũ illud, in quo non occurreret oppositio producentis & producti, relinqueretur comune toti Sanctissimæ Trinitati, atque adeò, dum sola secunda Persona adstruitur incarnata esse, eâdem operâ omnes tres Personæ simul incarnatæ esse traderentur.

LII. Præstat, in re satis aperta tempus non terere, sed magìs speculari, quid Schola hîc contraria ad retundendum argumentum nostrum moliatur. Joannes à S. Thoma in Tract. de Incarnat. Disp. 4. a. 5. docet, ad intelligendam Incarnationem Verbi, non verò Patris aut Spiritûs S. sufficere, quòd *in fieri* adsit actio & passio, quibus humanitas trahitur ad esse personale Verbi; & insuper, quòd humanitas sit tracta & dependens *in facto esse* à Verbo; hinc quia eadem humanitas non ita trahitur *in fieri*, nec ita tracta est ac dependet *in facto esse* ab alia Persona, jam stabit hæc veritas, quòd resultet relatio humanitatis ad solum Verbum, ut illi conjunctum, in qua ipsa relatione formaliter consistit unio hypostatica.

LIII. Instauratur argumentum. Vel per talem actionem significatur actio incarnativa, vel alia, quâ humanitas secundùm se & quoad intrinsecas suas perfectiones producitur. Si primum, jam omnes denuo tres Personæ Divinæ trahent ad seipsas humanitatem, sicut producunt eandem actionem Incarnativam juxta illud Concilij Toletani XI. in Profess. Fid. ita pronunciantis: *Incarnationem quoque hujus Filij DEI tota Trinitas operâsse censenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis*; jam verò quis erit terminus hujus actionis toti Trinitati comunis, nisi

nisi nobiscum statuatur unio ab extremis, quæ uniuntur, distincta? an fortassis productio Verbi? sed hæc propria est soli Patri; an potiùs productio humanitatis? sed ab hac separabilem esse Incarnationem, jam ostendimus n. 51. Si secundum. Ergo productio cujuscunque humanitatis, in essentia similis, erit quoque par omnino tractio ad Verbum, cui quæcunque illa humanitas coëxisteret, ac eapropter, si Superis placet, totidem consurgent Christi, quot erunt homines, neque Mysterium Incarnationis ampliùs manebit *singulare, quia exemplo carens*, ut rursus inquit Concil. Tol. cit. Quòd si autem hæc conjunctio Verbi cum quavis humanitate emergeret, jam resultaret etiam relatio proportionalis ejusdem ad Verbum, id est juxta Adversariorum hypothesin, unio formalis cum Verbo Divino.

LIV. Aliter nonnihil respondet ad Argumentum nostrum Joan. Bapt. Gonet Disput. 6. de Incarnat. a. 3. §. 1. & 2. nempe hanc denominationem Humanitatis, ut unitæ Verbo, non esse hæc extrema solitariè accepta, sed naturam humanam, quatenus terminatam Personalitate Verbi, seu ut connotantem Divinam Subsistentiam per modum termini ipsam complentis & terminantis; aut compositum, quod est ac dicitur Christus. Confirmatur hæc doctrina. Forma non dat sua prædicata, nisi per seipsam, & causa productiva non ponit effectum, nisi per virtutem secum identificatam. Ergò nec Verbum communicabit se participativè cum Humanitate, nisi per se ipsam &c.

LV. Promovetur iterum, quod posuimus, Argumentum. Vel ad constituendas has novas denominationes *Terminare*, *Compositum*, *Communicatio participativa*, accedit novum constitutivum, vel non? Si secundum. Ergo reliqua adhuc erit pura indifferentia Verbi & Humanitatis ad esse unita, nisi quis diceret, superstitem solam indifferentiam esse sublativam sui ipsius, ac determinare illud, quod propter residuam suam indifferentiam excludit ipsam determinationem. Si verò primum, quale hoc constitutivum erit, nisi unio hypostatica ab extremis distincta, & tollens horum indifferentiam?

LVI. Ad Confirmationem respondeo, illius Antecedens equidem procedere de tali formâ & causâ productivâ, ut consideratis in actu primo, seu ut continentibus virtutem informandi & producendi, si debito nexu & influxu referantur ad terminos proportionales, sed nodum haud solvere quoad formam & causam reduplicativè sumptas, quatenus nempe in actu secundo informant & causant; nam aliàs DEUS quoque denominari posset, ut ab æterno & pro æterno creans Mundum, atque Incarnatio facta esset non ultimâ primùm ætate Mundi, sed jam tempore coævo primi hominis productioni. Ubi formalis disparitas?

LVII. Tertiò respondet Recentior Thomista in Thesibus Salisburgensibus, quarum titulus: *De Unione Verbi*

Incarnati cum natura humana, nempe ad inducendam unionem hypostaticam præterea opus esse certâ applicatione. Sed an major esse queat Immensitate Divinâ ubivis diffusâ? item oportere, ut accedant certæ dispositiones vel conditiones. Sciscitor, quo illæ nomine veniant, & quomodo exinde concludi possit, reliquas humanitates, quæ Verbo coëxistunt, non esse huic pariter simili unione copulatas? Transitus demum fit ad Decretum DEI volens extrema unita. Sed huic scuto triplicem, si haberet, laminam Philosophia nostra dudum contenderat detrahere. Quid enim vellet hocce Decretum? nunquid extrema unita? sed absque correspondente debitâ unione; quasi scilicet muros intenderet dealbatos, sed sine albedine? An pro objecto adæquato haberet seipsum? sed ita pariter esset unio omnium inter se & cum ipso Decreto. An voluntas illa tenderet potiùs in aliud objectum? sed nunquid DEUS nihil odit eorum, quæ fecit, imò in his sibi complacet, videns, quòd essent bona Gen. 1. Igitur quæcunque naturæ, etiam ratione ac sensu carentes, gaudebunt unione physicâ cum DEO? Novi, recursuras distinctiones cum illis synonimas, quas repulimus n. 55. Sed indifferentia nova, antiquæ indifferentiæ superaddita, non tollet indifferentiam, quæ denique intra circulum ducta ad idem punctum, hoc est, pristinam indifferentiam revolvetur.

LVIII. Unum, subtilius apparens, occurrerat. Quid? si unionem hypostaticam insuper constitutam diceremus ex duplici negatione, nimirum unâ propriæ subsistentiæ in humanitate assumptâ, & alterâ negatione unionis cum aliâ Personâ Divinâ, quàm solius Verbi; aut saltem hanc duplicem negationem pro conditione quis requireret ad ipsam unionem hypostaticam, quæ defacto datur? Intelligo. Contraria tamen se sistunt tria. Primum. Ipsa Subsistentia propria naturæ humanæ sibi relictæ consisteret in negatione generali unionis cum aliâ substantiâ digniore, ut ex instituto propugnavimus in I. Difficultate. Ergo si juxta receptissimum in Scholis proloquium negatio negationis importat aliquid positivum, sanè unio auferens hujusmodi negationem, ipsa quoque non sit pura negatio, oportet. Secundum. Quandoquidem subsistentia propria componi simul nequit cum alienâ, cur igitur prior non desinit in unaquaque humanitate, quæ coëxistit Verbo? nam adessent Extrema, & quare non etiam unita, si secunda Persona per seipsam tolleret negationem, in quâ personalitatem creatam reposuimus? Tertium. Si unio hypostatica naturæ humanæ cum Verbo requirit insuper dictam negationem unionis cum Patre & Spiritu S. tunc similiter unio possibilis ejusdem naturæ cum aliquâ ex modò dictis Personis importaret negationem unionis cum Verbo. Itaque vel rursus pura negatio tolletur

per

per aliam homonymam negationem, vel illa negatio, quæ requiritur ab Adversarijs ad habendam unionem naturæ humanæ cum Verbo potiùs, quàm aliâ Personâ, erit entitas positiva, quod fuit ostendendum.

SECTIO II.

Potiores Replicæ contra Unionem hypostaticam à Verbo & humanitate distinctam.

LIX. Opponitur primò ex Joanne à S. Thomâ l. cit. Modus unionis hypostaticæ, Verbo & humanitati superadditus, excitaret in creatis Mysterium non dissimile arcanorum arcanissimæ Trinitati. Nam sicut modò incarnatum fuit Verbum, ita possibile erat, incarnari simul omnes tres Personas Divinas, in quo eventu apparuissent tres numero modi talium unionum, diversi quidem specie, sed tamen mutuò æquales hoc ipso, quòd Personæ ab ijs respectæ sint æquales. Item hæ uniones fuissent tres maximæ, tres perfectissimæ, seu una non minor tribus, neque tres perfectiores unâ. Parelion verò tam dilucidum SS. Trinitatis utique arcendum est à creaturis.

LX. Respondeo, varia hîc immisceri, quæ nobis minimè persuasa sint. Inprimis negamus, tres illas uniones simul sumptas non fore intra suum genus perfectiores, quàm unam tantùm. Nam omne finitum additum alteri finito auget hujus perfectionem. Quælibet verò ea unio foret entitativè finita. Deinde nec paradoxum est, duo specie inter se diversa, æqualem tamen habere perfectionem. Quis enim sine formidine oppositi judicium ferat, quòd columba & gallina, albedo & nigredo, duratio & ubicatio sint inæquales in perfectione, ubi tamen sine omni dubitatione affirmatur, illas differre specie, quemadmodum Philosophi nostri solent discurrere; quin ex fotoproprio instantiam promendo, Visiones beatificæ Angelorum & Hominum, quos æquale Lumen Gloriæ irradiat, sunt diversæ speciei, & tamen æquales, ut non difficulter probari posset vel ex ipso Angelico, dum 1. p. q. 12. a. 6. ad 3. inquit, diversam participationem Objecti beantis in Patriâ *esse per diversam facultatem intellectûs, non quidem naturalem, sed gloriosam*, id est secundùm mensuram Luminis gloriæ &c. Vel si objectio tantùm collimaret ad inferendas tres uniones maximas ex genere, ut loquimur, seu ratione terminorum, quos respiciunt, id minimè angeret. Nam utique Visiones Beatorum omnium sunt totidem perfectissima ratione objecti *de facie ad faciem* sese indulgentis? quin juxta præsentes Adversarios tradentes, peccata omnia mortifera esse simpliciter

infinita in ratione offensæ, dabuntur totidem maximæ offensæ, quamvis hæ discrepent in ratione malitiæ. Evanuit, credo, interea Mysterium, quod invehere dicebamur.

LXI. Opponitur secundò. DEUS, licèt antecedenter abstinere potuisset ab electione communicandi se creaturis, nihilominus hanc electionem de facto sibi habet identificatam. Ergo licèt unio hypostatica fuerit antecedenter separabilis à Personâ Verbi, nihilominus poterit hanc consequenter habere identificatam.

LXII. Respondeo, hoc veriùs esse, multiplicare Mysteria, dum nimirum Unio hypostatica declaratur per Libertatem Divinæ Voluntatis, *quæ omnium adhuc Eruditorum ingenijs inscrutabilis, Mysterium est Trinitate Personarum nihilo clarius, in quo componenda invicem sunt necessitas cum contingentiâ, immutabilitas cum indifferentiâ*, ut rectè annotat de Rhodes Disput. 4. de DEO q. 2. in Præf. Verùm nec ita metam tangeremus. Nam unio hypostatica sic evaderet etiam consequenter identificata cum Personâ Patris ac Spiritûs S. Vel si complementum quoddam creatum statuatur in ordine ad constituendam unionem respectu Verbi, jam hoc iterum commune erit toti SS. Trinitati, ut producenti, ex dictis n. 53. Illud subjungo, & disparem esse utrobique causam. Nam hìc indifferentia remanens, ut talis, esset tamen ablativa ejusdem indifferentiæ, ibi verò duntaxat determinatio Libertatis identificaretur cum Potentiâ liberâ. Sed hæc largiùs prosequi neque opportunum, neque necesse.

LXIII. Opponitur tertiò. Ponamus, Subsistentiam creatam esse substantiam positivam, quod ipse Eximius noster, ac plures alij tenent, tunc illa per seipsam terminabit naturam humanam, nec opus erit, novum rursus velut gluten allinere, quo illa humanitati uniatur. Ergo multò minùs ipsa virtus terminandi humanitatem per seipsam deneganda est Personæ Divinæ, atque adeò infinitæ.

LXIV. Respondeo, negando Consequentiam, siquidem objectio insistat terminationi in actu secundo, ut jam præmisimus n. 56. Ratio disparitatis est, quia perfectio quidem illa foret Subsistentiæ creatæ, si daretur, sed non illimis; commixta siquidem traheretur hæc imperfectio, quòd eadem Subsistentia essentialiter affixa esset proportionali naturæ, nec ab hujus nexu expedire se valens, quotiescunque dicta Subsistentia remaneret. Procul sit, ut simili tenore loquamur de Personalitate Divinâ. Equidem hæc per seipsam terminat Naturam Divinam, sed ad hanc terminationem indifferens non est, cùm imperfectionem sonaret, non posse esse Subsistentiam Naturæ, cujus illa est, ac per consequens posse excidere à cumulo omnium perfectionum, quem realiter habet à Naturâ Divinâ. Sed eadem Persona debet intelligi, ut indifferens ad naturam inferiorem terminandam, à quâ illa nihil intrinseci emolumenti exspectare pos-

sit.

sit, & quæ duntaxat pro illius Personæ lubitu perficiatur.

LXV. Opponitur quartò, & præcipuè. Vel unio hypostatica modalis foret intrinseca utrique extremo, nempe Verbo ac humanitati, vel tantùm affixa esset huic alteri? Neutrum bene dicitur. Non primum, quia aliàs Persona Verbi indueret rationem subjecti physici, quam abominationem fore, jam ipsimet innuimus n. 50. Sed neque secundum, quia concipi nequit, quomodo vinculum unionis duo intrinsecè connectat, si ipsum extrinsecè tantùm referatur ad aliquod ex duobus extremis unitis.

LXVI. Respondeo, negando Minorem, & dico, quòd ea unio sit intrinseca etiam Verbo, sed purè terminativè, non autem recipiatur simul in illo, tanquam subjecto physico. Docet quidem P. Lessius l. 12. de Perfect. Div. c. 5. eam esse extrinsecam Verbo, atque *hoc esse maximè mirabile & incomprehensibile in hoc Mysterio, quòd Verbum absque aliquâ novâ habitudine ad humanitatem possit eam ita adstringere, ut ratione illius unionis verè dicatur & sit homo.* Sed scitè animadvertit P. Thyrsus Gonzalez Disp. 22. de Incarn. sect. 1. quòd responsionem nostram defenderent omnes, si sperarent, posse solidè explicari, quomodo Verbum incipiat suscipere denominationem intrinsecam uniti, quin mutetur. Unde ob negotij gravitatem separatâ dissertatione id explanare aggredimur.

SECTIO III.

Salva Immutabilitas Verbi Divini, non obstante Unione hypostaticâ distinctâ, ac illi intrinsecâ.

LXVII. Dico, Verbum Divinum ex unione hypostaticâ distinctâ, ac illi etiam intrinsecâ, non mutatur. Ita Card. de Lugo Disp. 11. de Incarn. sect. 7. & P. Gonzalez l. cit. quorum probationem compendio damus. Mutari est habere se aliter modo significante formaliter aliquam perfectionem, quâ priùs carebat subjectum mutationis, si hæc sit positiva, vel modo significante carentiam perfectionis, quam priùs habebat tale subjectum, si mutatio sit negativa. Sed Verbum ex unione hypostaticâ non ita habebat se aliter vel uno vel altero modo, quamvis de primo potissimùm disceptaturi simus. Ergo ex illâ nec mutabatur. Major satis constat ex definitione motûs tradita ab Aristotele 3. Phys. c. 2. quòd nempe sit *actus entis in potentiâ, prout in potentia.* Ergo cùm motus sit via ad mutationem, etiam res, quæ mutatur, debet esse absolutè in potentiâ, nempe per modum

ſubjecti phyſici ad acquirendam perfectionem. Minor verò probatur. Verbum Divinum tantundem valet ſeclusâ eâ unione, ac ſimul cum illâ, ſeu ex vi ſuæ perfectionis æquivalet complexo ſui & humanitatis unitæ, in quantum eminenter continet, quidquid eſt perfectionis in dictâ humanitate. Ergo etiam unitur huic, non ut perfectibile, ſed ut purè perfectivum, nec ut accipiens, ſed communicans perfectionem. Subſumitur. Atqui quod ita unitur, non mutatur, cùm mutari ſit habere de novo aliquid, quod priùs ſimpliciter non habebat, ſeu neque eminenter, nec formaliter. Ergo Verbum ex illâ unione non habebat ſe aliter mutativè.

LXVIII. Confirmo. Vel Adverſarii volunt, quòd Verbum reddatur mutabile, ſi illud concedamus fuiſſe in quadam potentiâ, quæ cognominatur *Logica* & *denominationis*, ex ſe tamen nec perfectionem priùs habitam imminuens, neque aliam novam inducens; vel potiùs arguunt, Verbum quoque juxta nos futurum in potentia ſubjecti phyſici? Si primum, itaque DEUS mutatus eſt, dum factus eſt homo, paſſus, & mortuus, ad quas denominationes antea erat in ſimili potentiâ. Si verò ſecundum, adeò ab illo genere potentiæ abſumus, ut potiùs jam dixerimus, unionem illam non poſſe recipi perfectivè in termino, qui ulteriorem perfectionem ex illâ haurire non poteſt; imò hæc accedens redderet illum inperfectum, quia valentem ulteriùs perfici, ac per conſequens jam priùs hiatu aliquo, qui expleri poſſet, fatiſcentem.

LXIX. Opponitur, prætermiſſis aliis, ad quæ in præcedentibus duabus Sectionibus jam reſponſum eſt, Authoritas S. Thomæ, qui 1. p. q. 9. a. 1. in c. hæc habet: *Omne autem, quod quocunque modo mutatur, eſt aliquo modo in potentiâ; DEUS autem cùm ſit infinitus, comprehendens in ſe omnem plenitudinem perfectionis totius eſſe, non poteſt aliquid acquirere, nec extendere ſe in aliquid, ad quod priùs non pertingebat.* Atqui ſecundùm noſtra Principia DEUS ſe extenderet ad humanitatem Chriſti mediante unione hypoſtaticâ, ad quam ſe priùs ratione ſui non extendiſſet, ergo &c.

LXX. Reſpondeo, diſtinguendo Minorem. Extenderet ſe per extenſionem, quæ refunderet in DEUM novam perfectionem N. m. per extenſionem, quæ tantùm redderet Deum Terminum intrinſecum hujus totius ſubſtantialis: DEUS-Homo C. m. En S. Thomam ſuiipſius denuò interpretem 3. p. q. 3. a. 1. ad 1. *Cùm Perſona Divina ſit infinita, non poteſt ei fieri additio. Unde Cyrillus dicit in ep. Synod. Epheſ. Conc. Non ſecundùm appoſitionem conjunctionis intelligimus modum. Sicut etiam in unione hominis ad DEUM, quæ eſt per Gratiam adoptionis, non additur aliquid DEO, ſed illud, quod Divinum eſt, apponitur homini. Unde non DEUS, ſed homo perficitur.* Hucusque Angelicus, ex quo abundè eluceſcit, quam ille in DEO neget *pertingentiam ulteriùs*, nempe

nempe solam illam, quæ DEUM redderet subjectum ab adveniente novâ perfectione informatum vel alteratum. Stet itaque, quod Eximius ait Disp. 8. de Incarn. sect. 3. *Tota mutatio circa Humanitatem facta est, quæ veluti est insita Verbo, ipso quidem manente unito, sed immutato.*

DIFFICULTAS. IV.

Satisfactio Christi ex rigore Justitiæ.

SECTIO I.

Examinantur faciliores conditiones ad hunc rigorem requisitæ; & deciditur Quæstio.

LXXI. DUo sunt velut Poli, circa quos gyratur præsens Controversia. Inferior est, an ex hypothesi, quòd non repugnet, DEUM aliquando obligari alteri ex Justitiâ strictè Commutativâ, jam nihil omnino desit Satisfactioni Christi, quin hæc exacta fuerit juxta totum rigorem ejusdem Justitiæ. Alter superior, & quem præcipuè observandum suscepimus, in eo positus est, an non ex plenitudine superabundanti ipsius Satisfactionis Christi ritè inferatur talis Justitia commutativa, ut possibilis inter DEUM & hominem, quin DEUS ex hoc titulo actu fuerit ipsi Christo obligatus. Versavimus jam quidem hanc molam integrâ Quæst. 8. P. 3. Strom. Sed quemadmodum Eximii Doctoris & P. Vasquezii adversa in hoc Difficultatis puncto certamina identidem recruduerunt, ita tam juvare, quàm decere visum est, ut qui jam excepimus arma ex Tractatu de Jure ac Justitiâ vibrari solita, neque declinaremus alterum velut decretorium campum in Tractatu de Incarnatione se pandentem. Accedit, quòd hic præcipuè periclitari appareat Causa in Operis titulo suscepta. Nam quomodo sarta, tectáque satìs persistet excellentia Satisfactionis Christi, si illa hunc non reddiderit, tanquam creditorem respectu DEI, ut debitoris?

LXXII. Percurramus inprimis, sed absque saltu, conditiones, quæ dubium possent relinquere, an Satisfactio Christi plenè fuerit commensurata secundùm canones rigorosæ Justitiæ, abstrahendo tamen adhuc, an hujus Virtutis mutua obligatio cadere possit in DEUM. Dico igitur, Satisfactio Christi sufficienter fuit *ad alterum*. Probo. Vel hic requiritur alteritas, ut

ut ajunt, naturarum, vel personæ? Quidquid exigas, Satisfactio Christi vel sufficienter fuit ad alterum, vel objectio tibimet solvenda, ergo &c. Probatur Minor. Si enim exigas primum, etiam in Christo dabantur duæ naturæ, Divina scilicet & humana, atque earum utraque gaudens peculiari sibi libertate, ac operationibus distinctis, quæ fundare poterant diversa jura respectu illorum, qui capaces sunt ligari jure activo alieno. Sin autem secundum, contrà est, quia sic tolleretur etiam cultus religiosus Christi erga DEUM: Nam & Religio est pars potentialis Justitiæ, cum quâ convenit in *reddendo debito alteri*, ut docet Aquinas 2.2. q.80. a.1. in c. Sed cedo & alteritatem aliquam personæ. Si enim eadem physicè persona creata potest esse civiliter duplex ob diversa jura, quæ possidet, sicut, dum Tutor, repræsentans personam pupilli, hujus nomine satisfacit sibi ipsi, tanquam aliunde creditori talis pupilli, quid prohibet asserere, Personam Verbi, prout erat moraliter alia, sive novus Adam succedens veteri in munere Capitis totius generis humani, satisfecerit ipsi Personæ Verbi, quæ per noxam originariam pariter offensa erat eo ipso, quòd peccatum illud offenderit DEUM, quà Legislatorem ac ultimum Finem, id est, quoad prædicata communia toti SS. Trinitati?

LXXIII. Dico secundò. Satisfactio Christi sufficienter fuit ex bonis propriis ipsius debitoris. Probo, Vel Adversarij vellent, quòd hæc bona deberent esse solius Christi privativè, seu ita, ut simul non forent sub Dominio DEI; vel saltem, ut essent sub Dominio proprio Libertatis humanæ Christi, quod ista habet saltem adversus alios homines? Si primum, contrà rursus est, quia hoc modo Depositarius non posset satisfacere suæ obligationi, restituendo summam ab hujus Domino depositam. Si verò secundum, tali Dominio utique gaudebat Libertas humana Christi, utpote distincta, licèt non dissidens à Libertate DEI; ergo &c. Confirmo. Potest debitor ex fructibus prædii sibi donati tale lucrum congerere, ut hoc proventu etiam expungat mutuum à donatore prædii antea acceptum. Ergo poterat etiam Christus quasi ex fructibus unionis hypostaticæ gratis acceptæ satisfacere debito moraliter suo, atque pretiosissimi hujus vinculi quasi impensis ita negotiari, ut expleret voluntatem Divini Creditoris, qui veniam reo humano generi dare negaverat, nisi condignæ Satisfactionis lytrum persolveretur.

LXXIV. Dico tertiò. Satisfactio Christi fuit insuper solutio, quæ sufficienter intelligitur posita ab ipso debitore. Probo. Ad hujusmodi solutionem satis est, modò Fidejussor debitoris solvat debitum moraliter proprium ob ipsam identitatem moralem, quam contrahit cum personâ, pro quâ fide jubet, ac præcipuè, si Judicis supremi Authoritas ita ordinet. Sed Christus fuit talis Fidejussor humani generis

generis, ut debitoris, ergo &c. Probatur Minor. Nam inprimis huc revocat Eximius & ex isto Cornelius à Lapide illud Eccles. 29. *Gratiam Fidejussoris ne obliviscaris*; *dedit enim pro te animam suam*, atque illud Apostoli ad Hebr. 7. dicentis: *melioris Testamenti Sponsor factus est JESUS*. Deinde Judicum omnium supremus Judex DEUS ita ordinavit juxta Oraculum If. 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*, hoc est, posterorum Adami, excipiendo tamen à reatu culpæ & proximo illius incurrendæ debito Sanctissimam Virginem, cui Divinus Sponsus acclamat Cant. 2. 5. & 6. *Una perfecta*, *electa*, *immaculata*. Præterea Christus Divinum hoc beneplacitum excepit iis verbis: *DEUS meus volui*, & *legem tuam in medio cordis mei*, ut ex communi Interpretum de Christo vaticinatus est Propheta Regius Ps. 39. ergo &c.

LXXV. Dico quartò. Non obest Satisfactioni Christi quoad præsens punctum, etiamsi dicatur, illius opera fuisse debita DEO ex aliis titulis, v. g. Dominii Proprietatis. Probo. Illa multiplicatio titulorum non obest satisfactioni, quæ non multiplicat simul materiam retributionis. Sed hæc in præsenti non multiplicatur, ergo &c. Major ostenditur, vel sistendo intra lineam Justitiæ. Si enim ponatur, duos inter se fœdus licitatos esse sub conditione mutuò onerosâ, ut nempe sibi vicissim tribuant summam, quam petiverint, tunc, si eadem summa ab uno illorum jam priùs obligato ad hanc reddendam e. g. ex titulo mutui, subinde reposcatur, neque aliud æs ad manum sit, illa pecunia retributa extinguet obligationem gemino titulo Justitiæ correspondentem. Minor verò probatur. Nam DEUS illa ipsa opera, licèt aliunde debita, exigebat pro nostris peccatis, atque, ut subjungit Cornelius l. cit. *cùm nos solvendo non essemus*, *Christus omne debitum in se transcripsit*, *illúdque dependit & luit*, *non in ære sed in pelle*, *subeundo atrocem & infamem mortem Crucis*. Cæteræ conditiones, quæ hîc ponderari solent, vel decisæ jam sunt, ut quòd satisfactio non debeat jam priùs numerari intra fortunas creditoris, aut hujus gratia accedere, qualem conditionem satìs expendimus n. 73. & 75. vel separatam discussionem postulant, cui per integras plures, quæ modò sequentur, Sectiones ampliorem operam navabimus.

LXXVI. Nunc ad caput Controversiæ ascendendo, cujus unius gratiâ præsentem Difficultatem subivimus, examinare insuper oportet, an talis fuerit rigor Justitiæ in Satisfactione Christi, ut hac exhibitâ etiam DEUS vicissim fuerit obligatus Christo ex titulo Justitiæ commutativæ? ubi nec disceptamus de Pacto inter DEUM ac Christum inito, nam hoc ultrò damus, & infrà ex instituto probabimus; neque de verâ injuriâ erga DEUM in omni peccato imbibitâ, nam & hanc veritatem jam propugnavimus Parte 3. Strom. Q. 8. Sect. 4. atque hîc suffi-

 ciet

ciet explicare mentem Eximii Tom 4. in 3. p. Disp. 2. sect. 3. ita statuentis: *In omni peccato, quatenus est contra Deum, invenitur propria quadam ratio injuria altioris, quàm sit omnis injuria humana, sicut jus Divinum altius & excellentius est. Id quod confirmat modus loquendi Scriptura, qua frequenter vocat peccatum injuriam & offensionem DEI. Debet autem Scriptura propriè intelligi, cùm commodè potest*; atque inferiùs hæc sententia declaratur exemplo Subditi, qui debet Principi suo tributum ac honorem ex Justitia; multò ergo magis homo debet DEO recognitionem & honorem ultimi Finis, quem illi denegat, dum peccat; imò quantum est in affectu peccatoris, privat DEUM dignitate ultimi Finis, & alium constituit. Hucusque Eximius.

LXXVII. Dicendum itaque. Quamvis Satisfactio Christi statuatur omnino æqualis debito ex injuria peccati & inito pacto resultanti, quin fuerit superabundans quibuscunque peccatis in cumulum congestis, DEUS tamen immunis remansit à reciproca obligatione Justitiæ Commutativæ versus Christum. Immittamus trutinæ potiora celeberrimæ hujus Quæstionis pondera, & quæ rationum momenta pars adversa alteri lanci imponat, pro viribus expendamus.

SECTIO II.

An idem rigor Justitiæ stare possit cum Dominio Divino Proprietatis?

LXXVIII. PRimum nostrum Argumentum, quo Conclusionem priori numero assertam stabilimus, ita habet. Repugnat penitus, quòd valor Satisfactionis Christi detraxerit aliquid ex Dominio Proprietatis Divino, hoc est, infinitè perfecto. Atqui detraxisset aliquid ex dicto Dominio, si DEUS exinde fuisset obligatus debito Justitiæ Commutativæ ad dandam veniam, gratiam & gloriam illis, quibus eadem satisfactio per destinata media applicabatur. Ergo repugnat penitus, quòd DEUS ex valore Satisfactionis Christi fuerit obligatus hujusmodi debito. Major ex ipsis se terminis luculentè ingerit. Nam utique Satisfactio Christi efficere nequibat, ut ipse Christus desineret esse DEUS, sive Bonum in omni linea perfectionis simpliciter simplicis infinitè completum; vel ut Satisfactio Dominica cessaret esse simpliciter infinita, quorum tamen utrumque evenisset, si hujus Satisfactionis quasi forma, seu vis infinita satisfaciendi, eclipsin passa esset in aliqua perfectione Divina, dum nempe se Dominio DEI admiscuisset multiplex impuritas, ut posse desinere, abdicari, jure alieno constringi, atque si in creatura etiam adversus DEUM pateret locus frigido illi

illi verbo: *Meum ac Tuum.* Probatur itaque Minor. DEUS antecedenter ad Satisfactionem Christi possidebat Dominium plenum & in solidum respectu memoratæ veniæ, gratiæ, & Gloriæ, quale Dominium legitimè definitur: *Jus in re sua perfectum*, sive DEUS poterat sine cujusquam injuriâ renuere veniam, dona illa procul omnibus & Angelis & Hominibus removere, vel saltè ea impertiri alijs, quàm ad quos se inclinabat Christi satisfacientis intentio; ex hypothesi verò talis satisfactionis à Christo exhibitæ deficeret explicata plenitudo, & jam rimam ageret soliditas Dominij, eo ipso, quòd decederet aliqua perfectio Juris in hac re sua, sive quoad veniam, gratiam & Gloriam, quibus conferendis si DEUS abstineret, hunc equidem propria sua Veracitas Christo fateri compelleret: *Facio tibi injuriam.* Ergo valor satisfactionis Christi detraxisset aliquid ex Dominio proprietatis Divino, seu tali, quo plenius & magìs in solidum excogitari non potest.

LXXIX. Admirationem suscitant tam diversi Adversariorum, & à seipsis mutuò diffidentes in primo hoc argumento sufflaminando conatus, qui fortè soli suspicionem movere possent, non sterile hic arari littus. Eo! ut responsa Eximij contra Vasquezium Marte suo roboret P. Thyrsus Gonzalez Tom. 3. Disp. 19. Sect. 4. *Ratio, cur obligatio Justitiæ non sit contra Dominium DEI, est, quia non arguit Deum, illud à se abdicâsse. Quandoquidem etsi supposita promissione, ut absolutè obligante Deum ex Justitia ad reddendam rem promissam, homo, cui facta est promissio, habeat strictissimum jus ad Gloriam, hoc tamen jus respicit pro termino usum aliquem ortum à potestate Dominativa DEI, ad quem sibi imposuit necessitatem per ipsam promissionem, ac proinde jus illud est essentialiter subordinatum DEO, ut Domino Gloriæ, quia respicit usum provenientem à potestate Dominativa DEI circa Gloriam. Nequit autem esse contra Dominium causa in aliquem terminum jus illud, quod respicit pro usu ac exercitio suo exercitium potestatis Dominativæ illius causa in talem terminum.* Paulò inferiùs afferuntur sequentia: *Promissio obligans ex Justitia non aufert potestatem Dominativam circa Gloriam, quam DEUS antecedenter habebat, sed eam ligat, atque determinat. Deus enim non habebat potestatem ad denegandam Gloriam in sensu composito promissionis, licèt in sensu composito promissionis haberet potestatem ad negandam Gloriam in sensu diviso promissionis.*

LXXX. Ad explorandum hujus gemini arietis robur statuimus sequentem casum. Ponatur Artifex in genere suo Dædalus, & cui *nec primum* detur *similem, nec habere secundum*; Iste interea jus utendi suis artefactis conferat alteri stipulatâ utrinque fide, ac reciprocè condicto onere vel labore hunc verè constituat usufructuarium eorundem Artis operum. Profectò in tali casu Artifex imponet sibi

necessitatem haud defraudandi alterum adpromisso usu, & quidem ex vi determinationis antecedenter ortum trahentis ex Dominio perfecto ejusdem Artificis supra usum & jus hoc fruendi; ac nihilominus ipsi Adversarij nequeunt inficiari juxta sua principia, quæ alibi de speciebus Dominij perfecti vel imperfecti jaciunt, quòd ejusmodi Artifex abdicaverit à se partem Dominij, quâ ante celebratam illam stipulationem gaudebat. Porrò ad Casum hunc magìs illustrandum ponantur eadem artefacta tam præclaro magisterio instructa & cooptata, ut horum diversæ & subtiliùs inflexæ vertebræ non nisi ab ipso Artifice propriâ admotâ manu dirigi, atque ad destinatum finem ritè deduci queant, in quo propositi Casûs incremento jus Usufructuarij subordinatum quoque remanebit potestati Dominativæ in Artifice residenti, in quantum hic sibi pro termino præfixerat jus utendi artefactis translatum in alterum; item faciendo ipsi Usufructuario copiam debiti usûs, similiter poneret exercitium suæ Potestatis, quâ poterat vel nulli dare jus utendi artis suæ fructibus, vel saltem diversum Usufructuarium constituere, & tamen idem Artifex, postquam dicto modo contraxit, non remanet Dominus in solidum laboris suæ dexteræ, sed privando alterum promisso usu meritò audiret injustus, qualem tamen notam haud incurreret, si adhuc verè ageret ex jure suo perfecto, seu ex potestate disponendi plenè de tali usu. Ergo ritè concluditur, quòd positus Artifex seipsum exuerit parte Dominij, quam ante contractum initum possederat. Directè igitur negandum, quòd si obligatio Justitiæ rigorosæ caderet in DEUM erga Christum, ut Generis humani Fidejussorem, iste haberet usum Gloriæ ab omni jure proprio separatum. Negamus insuper, quòd DEUS non abdicaret à se quasi portionem, quæ pertineat ad plenitudinem ac soliditatem Dominij. Item negamus, quòd ultimus terminus voluntatis promittentis intelligatur exercitium potestatis Dominativæ requisito modo superstitis, quando idem terminus ad exigentiam juris alieni apponitur. Denique negamus, quòd jus Christi & Electorum in Gloriæ Coronam foret ampliùs ita subordinatum Dominio Divino, prout ad hujus Perfectionem requiritur, nisi quis propugnare vellet, idem adhuc constitutum adesse, sublato aliquo constitutivo, vel *Dominium directum* adhuc coalescere cum *Dominio utilitatis*, quando hoc amputatum jam fuit; ubì animadvertere convenit, quòd licèt DEUS capax non sit propriæ utilitatis, nisi quæ reponi solet in Gloria DEO extrinseca, seu à creatis Mentibus retributa, nihilominus ille vel maximè capax sit juris disponendi de utilitate intrinseca ut contribuenda vel nulli creaturæ, vel uni præ altera, imò de utilitate etiam extrinseca vel penitus negligenda, aut alijs Sapientiæ, Bonitatis, ac Potentiæ suæ vijs procurandâ.

LXXXI.

LXXXI. Quod sensum divisum ac compositum n. 79. allatum spectat, sic ulteriùs argumentor. Ex illa responsione sequeretur, Dominia rerum aliquando possessa adhærere immobiliter suis Dominis, quin ea ligari duntaxat & determinari ab ipsa potestate dominativa, quâ pollebant iidem Domini, antequam contraherent. Sequela non potest admitti. Ergo nec Responsio. Major patet. Nam potestas illa dominativa exigebat tantùm, ut justa ac legitima esset quæcunque dispositio juris antecedenter & pro sensu diviso contractuum, siquidem assumptum illud Adversariorum tenetur. Minor verò probatur. Hoc enim modo nullus, qui verè aliquando fuit Dominus certæ rei, abdicaret se Dominio, vel quoad minimum punctum juris; item nemo propriè alienaret bona sua, quoscunque demum contractus nominatos vel innominatos celebraret, &c., quod consectaneum est, prodirent complures Domini etiam creati ejusdem rei in sollidum, & quidem permanenter, quorum prius ab Authore allegato negatur Disp. cit. Sect. 3. alterum verò nequit intelligi sine potestate chimærica, seu in ordine ad terminos sese mutuò elidentes, ut jam intulimus P. 3. Strom. n. 156.

LXXXII. Confirmatur. Ad hoc, ut verè suppetat hîc & nunc Libertas Indifferentiæ ad motum progressivum aut visionem, satis non est, potuisse poni illum motum antecedenter ad injectas compedes, quibus se aliquis extricare nequeat, vel in sensu ab ijs compedibus diviso, ac idem tenet circa visionem, si proportionalis tantùm libertas relinquatur antecedenter ad spuriam tunicam oculis obductam, vel in sensu ab hac tunica diviso, sed magìs necesse est, ut concurrat simultas potestatis ad exercendum illum motum aut visionem, neque adsit impedimentum ita dividens ab illo vitali pedum vel oculorum motu. Ergo pariter in casu nostro ad libertatem propriam Dominii perfecti, quà talis, seu disponentis juxta beneplacitum proprium & plenè de rebus suis, non sufficit, ut adfuerit illa libertas antecedens & in sensu diviso ab hujusmodi impedimentis, sed requiritur simultas potestatis ad omittendam communicationem sui per gratiam, & Gloriam, atque hac disponendi libertate præstandum, ne resolutio alieni Dominij circa eadem objecta excludere possit dispositionem Divinam, tanquam legitimam ac justam.

LXXXIII. Superaddamus, quæ acutè comminiscitur P. Anton. Perez Disp. 6. de Incarn. c. 2. & 3. Obligatio Justitiæ, docet ille, nullam imperfectionem refundit in DEUM, quia ex vi promissionis Divinæ creatura tantùm evadit Domina utilitatis, cujus aliàs ipse DEUS incapax est. Imò hic ipse usus dependet à DEO, ut præ-definiente bona opera, tanquam diurnum laborem, cui debeatur denarius Gloriæ. Cæterùm, quòd DEUS dictam mercedem negare haud possit, arguit quidem imperfectionem, sed non Divini Dominii, cùm dispositio

hujusmodi de Gloriâ jam reddita sit impossibilis, postquam fides data est de retribuendâ mercede, sed potiùs defectus imbibitur in ipsâ chimærâ, qualis esset dispositio de Gloriâ, post suppositionem DEO liberam facta impossibilis, quod ipsum confirmat hic Author à paritate Omnipotentiæ, quæ imperfecta non sit ex eo, quòd nequeat producere Hircocervum.

LXXXIV. Circa subtilem hunc Discursum inprimis constat ex doctrinâ, quam dedimus n. 80, DEUM quidem non esse perceptivum utilitatis sibi intrinsecæ, perceptivum tamen quàm maximè esse ipsius juris supra utilitatem creaturis intrinsecam. Atqui tale jus adimeretur, si staret in DEO obligatio Justitiæ rigorosæ erga creaturam. ergo &c. Instantiam Prædefinitionis quod attinet, hæc tantùm evincit, quòd creatura non possit adimplere conditionem onerosam, quæ deducta est in pactum, nisi DEUS intelligatur etiam donare ipsum velle operari ad conditionem illam ritè apponendam, non verò manifestat, quomodo DEUS retineat jus pristinum in sua bona, si creaturæ operatio accedat. Imò, ut DEUS obligationem evitaret, assumenda illi esset Permissio peccati, quod responsum nolim hîc pluribus persequi; id solummodo dixerim, creaturam peccantem sic potiùs cessuram jure suo, quod vi promissionis acquisiverat ad Gloriam, quemadmodum in Principijs Perezij Amicitia inter DEUM & Hominem, per Gratiam sanctificantem inita, dissolvitur tantùm ex defectu hominis delinquentis adversus leges amicitiæ.

LXXXV. Pergendo ad paritatem ex Attributo Omnipotentiæ deprompram, interrogo, an Adversarij chimæram statuant, quæ jam antecedenter ad determinationem liberam DEI, ut talis, deprehendatur, vel an potiùs loquantur de aliâ, quæ primùm resultaret ex determinatione liberâ DEI? Si primum, sumus extra Quæstionem, nam utique talis chimæra non est, dispositio de Gloriâ omnibus, vel saltem illis creaturis negandâ, quos deinde Christus efficaciter voluit participes satisfactionis suæ in ordine ad beatam Felicitatem adipiscendam. Si verò secundum, petitur principium, ut loquimur; de hoc enim ipso fervet controversia, an dari possit ejusmodi determinatio libera Voluntatis Divinæ, quæ præjudicet infinitudini alterius Attributi. Sanè Philosophorum placita revolventi occurrerat illa recepta Sententia, nempe DEUM immediatè influere in omnem effectum. Et quæ hujus consensûs ratio? Ipsa Excellentia Supremi Entis, quod concipere decet ita esse sibi ac alijs plenissimam sufficientiam ad existendum & operandum, ut absque illius concursu immediato nulla creatura valeat existere aut conservari. Præterea, quia opinio contraria læderet perfectionem Dominij Divini, cujus est, posse omnia creata in nihilum redigere, solo suo concursu subtracto &c. Subsumo. Atqui hoc Philosophiæ placitum non ita teneret, si contrarij hîc Authoris doctrina

ctrina procederet. Nam simili modo reponi posset, impossibilitatem concursûs immediati Divini respectu actionis immediatè dependentis à solâ causâ creatâ esse defectum relucentem tantùm in hac chimærâ, nempe tali actione, quæ respiceret creaturam pro solo suo principio immediato, & tamen simul haberet pro immediato principio ipsam quoque Causam primam. Planum igitur est, Libertatis Divinæ prærogativam non esse, socijs Attributis præjudicare, & velle, ut ipsa ampliùs non constituat cumulum Perfectionis infinitæ, qui ipse tamen cumulus dissiparetur, si decederet aliquod Attributum, ut in suâ quoque lineâ infinitum.

SECTIO III.

An in DEO sit æquè inabdicabile Dominium Proprietatis, ac Dominium Jurisdictionis?

LXXXVI. Alterum Argumentum Conclusionis, quam posuimus n. 77. ita construitur. Repugnat, quòd DEUS communicet creaturæ Dominium Jurisdictionis, quo ipsemet DEUS obligetur; seu, ut alij pronunciant, repugnat, quòd in DEO locus sit rationi Virtutis Obedientiæ. Ergo non minùs repugnat, quòd DEUS communicet creaturæ Jus Proprietatis, quo ipsemet DEUS obligetur, seu, ut rursus loquuntur, repugnat, quòd in DEO locus sit rationi Virtutis Justitiæ Commutativæ. Antecedens ab ipso Perezio censetur, ut absurdum, & si quis illud in dubium revocaret, opponeremus Discursum in antecedente Difficultate propositum; nam & immunitas à Jurisdictione aliena omnino spectat ad constituendum Jus Divinum in præcipiendo infinitè perfectum. Consequentia verò comprobatur tum ex eo, quia utraque illa communicatio non esset purè participativa Juris Divini, sed privativa alicujus Juris ad plenissimam Proprietatem ac Jurisdictionem pertinentis; tum ex hoc, quia neutra Virtus, nimirum Obedientiæ & Justitiæ Commutativæ, depurari potest ab omni imperfectione admixtâ, qualis foret, conformari præcepto & juri activo alieno, ac per consequens dependere ab alio.

LXXXVII. Confirmatur. Quamvis Dux Josue fuerit typus Christi juxta illud Theodoreti Quæst. 15. *Sicut enim pugnante Josue Sol stetit, ita cùm Salvator noster morte sua mortem dissolveret, Sol meridie continuit radios & tenebris replevit terram*; nihilominus Adversarij verba illa Jos. 10. *Obediente DEO voci hominis*, interpretantur minùs strictè, seu juxta paraphrasin Abulensis: *Condescendente DEO*; neque eidem Ductori Solem vocibus, tanquam habenis, detinenti, neque

neque Christo non minora prodigia in Cæli Luminaribus sub suam mortem edenti, Jus Jurisdictionis vel in unico hoc usu adversus DEUM attribuunt, aut exinde locum aperiunt Virtuti Obedientiæ in DEO. Ergo nec statuendum est in Christo vel Electis ullum Jus Proprietatis adversus Deum, vel in ipso DEO asserenda ratio explicatæ Virtutis Justitiæ.

LXXXVIII. Duo reponunt Authores, quibuscum nobis præsens contentio. Primum. Solus ille capax est Obedientiæ, qui nondum consecutus est finem ultimum, vel saltem adhuc perfectiùs eum potest consequi. Neutri locus est in DEO. Ergo nec obedientiæ. Instamus. Si hæc ita habent, jam nec Obedientia fuit in Christo, qui tamen legitur fuisse *subditus illis*, nimirum Virgineæ suæ Matri & Nutritio Josepho Luc. 2. nam Christus in primo statim Conceptionis instanti fuit *plenus Gratiâ*, quæ reliquo tempore non poterat augeri, loquendo ex naturâ rei, ut tradit Angelicus 3. p. q. 7. a. 12. Similiter Angelis *mandavit* DEUS, ut essent Custodes hominum Ps. 90. Et tamen *administratorij* hi *Spiritus* Hebr. 1. *semper vident faciem Patris, qui in Cælis est* Matth. 18. ac per consequens in ijs conjungitur Obedientia cum fine ultimo jam possesso, siquidem nomen Obedientiæ, in his textibus occurrens, strictè acceptum velint Adversarij, ut constanter urgent in nomine *Mercedis*, *Denarij*, *Coronæ Justitiæ* quoad obligationem strictæ commutationis Gloriæ pro Meritis justorum. Vel si per finem, quem obediens nondum adeptus esset, intelligatur quodcunque bonum præfixum, jam hujusmodi finis designari etiam posset in DEO; nempe sicut in Christo incrementum Gratiæ, non in qualitatis hujus physico augmento, sed in ostensione ac manifestatione ejusdem, ita in DEO consecutio destinatæ Gloriæ extrinsecæ, vel manifestatio virium, quibus pollent orationes justorũ ad quod ipsum applicari posset illud Auth. de Mirab. Script. apud D. Aug. Tom. 3. L. 2. c. 4. *DEUS servorum suorum precibus obedit, & ad eorum necessitatem creaturas suas opportunè gubernat*, atque alterum S. Bernardi L. 2. Vit. c. 7. *Josue pugnat, & ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, Soli, ut stet, non tam orat, quàm imperat.* Ergo manet, vel abdicari posse Jus aliquod Jurisdictionis Divinæ, si possit ita abdicari Jus Proprietatis, vel si prius non concedatur, negandum nobiscum & posterius.

LXXXIX. Secunda & Perezij propria responsio ita sonat; *Judicium Superioris debet præcedere judicium inferioris de rebus agendis & eligendis. At certissimum est, judicium Divinum præcedere electionem Divinam; nam DEUS, antequam Mundum crearet, Sapientiâ suâ æternâ, quæ præcedit omnia creata, judicavit, quid sibi esset faciendum; & electio Divina æterna præcedit omnem electionem temporalem, & omne judicium creaturæ, ipsiúsque judicium supponit judicium Divinum.* Ergo creatura non potest habere superio-

perioritatem Jurisdictionis respectu DEI Percepimus. Sed contra. Hoc modo perfectior in DEO fieret Obedientia. Nam, ut S. Thomas tradit 2. 2. q. 104. a. 3. *Tantò videtur Obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellectâ.* Quapropter si lumen Intellectûs Divini ab æterno detegeret, quid creatura sit præceptura, jam ipsa electio creaturæ, non quidem ut actu è causis suis evoluta, sed ut prævisa, seu prioritate quasi naturæ, posset antecedere electionem DEI, ut obedientis, quemadmodum juxta Adversarios conditio onerosa, quam suo tempore apponunt Justi, præcedit voluntatem conferendi Gloriam promissam, ac ita debitam Justis ex titulo Justitiæ Commutativæ. Ergo etiam hæc responsio vel in neutrâ, vel in utraque Virtute stringet, tam Justitiæ scilicet, quàm Obedientiæ.

SECTIO IV.

Exponitur illud dictum Aquinatis: DEUS non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi.

XC. ANtequam hoc effatum exenteremus, juvabit, tertium Conclusionis nostræ Argumentum præmittere. Ita disputo. Repugnat ex vi ipsius Attributi Fidelitatis, quòd DEUS fidem promissi violet. Ergo repugnat pariter ex vi Dominij Divini, quòd DEUS rependat Jus quasi passivum Proprietatis ipsi juri activo, quod haberet Christus vel Electi adversus DEUM. Antecedens commune nobis est cum Adversarijs, ac deducitur ex eo ipso Attributo, unde illi potiora ac certiora credunt se jacula evibrare. Consequentia verò probatur. Idcirco prius sic repugnat, quia licèt violatio promissi excluderetur aliunde, v. g. ex Attributo Immutabilitatis Divinæ, cui opponitur omnis instabilitas voluntatis, aut ex Attributo Sanctitatis, cui dissonat quæcunque turpis actio, insuper tamen læderetur summa determinatio DEI ad conformitatem factorum cum dictis, qualis conformitas est ipsum exercitium Fidelitatis, ac hujus Attributi velut proprius character. Ergo idcirco repugnabit etiam alterum, quia licèt DEUS obligatur ad standum ijs, quæ promisit Christo infinitè digno, obligatione oriente ex Attributo Fidelitatis aut Justitiæ remunerativæ, accedens tamen obligatio Justitiæ Commutativæ læderet Dominium Divinum Proprietatis, cujus character est, agere semper & omnia pro jure suo ac plenâ potestate dominativâ. Confirmatur. Si DEUS per hypothesin impossibilem ponatur transgressor datæ

neque Christo non minora prodigia in Cæli Luminaribus sub suam mortem edenti, Jus Jurisdictionis vel in unico hoc usu adversus DEUM attribuunt, aut exinde locum aperiunt Virtuti Obedientiæ in DEO. Ergo nec statuendum est in Christo vel Electis ullum Jus Proprietatis adversus Deum, vel in ipso DEO asserenda ratio explicatæ Virtutis Justitiæ.

LXXXVIII. Duo reponunt Authores, quibuscum nobis præsens contentio. Primum. Solus ille capax est Obedientiæ, qui nondum consecutus est finem ultimum, vel saltem adhuc perfectiùs eum potest consequi. Neutri locus est in DEO. Ergo nec obedientiæ. Instamus. Si hæc ita habent, jam nec Obedientia fuit in Christo, qui tamen legitur fuisse *subditus illis*, nimirum Virgineæ suæ Matri & Nutritio Josepho Luc. 2. nam Christus in primo statim Conceptionis instanti fuit *plenus Gratiâ*, quæ reliquo tempore non poterat augeri, loquendo ex naturâ rei, ut tradit Angelicus 3. p. q. 7. a. 12. Similiter Angelis *mandavit* DEUS, ut essent Custodes hominum Ps. 90. Et tamen *administratorij* hi *Spiritus* Hebr. 1. *semper vident faciem Patris, qui in Cælis est* Matth. 18. ac per consequens in ijs conjungitur Obedientia cum fine ultimo jam possesso, siquidem nomen Obedientiæ, in his textibus occurrens, strictè acceptum velint Adversarij, ut constanter urgent in nomine *Mercedis*, *Denarij*, *Coronæ Justitiæ* quoad obligationem strictæ commutationis Gloriæ pro Meritis justorum. Vel si per finem, quem obediens nondum adeptus esset, intelligatur quodcunque bonum præfixum, jam hujusmodi finis designari etiam posset in DEO; nempe sicut in Christo incrementum Gratiæ, non in qualitatis hujus physico augmento, sed in ostensione ac manifestatione ejusdem, ita in DEO consecutio destinatæ Gloriæ extrinsecæ, vel manifestatio virium, quibus pollent orationes; justorũ ad quod ipsum applicari posset illud Auth. de Mirab. Script. apud D. Aug. Tom. 3. L. 2. c. 4. *DEUS servorum suorum precibus obedit, & ad eorum necessitatem creaturas suas opportunè gubernat*, atque alterum S. Bernardi L. 2. Vit. c. 7. *Josue pugnat, & ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, Soli, ut stet, non tam orat, quàm imperat.* Ergo manet, vel abdicari posse Jus aliquod Jurisdictionis Divinæ, si possit ita abdicari Jus Proprietatis, vel si prius non concedatur, negandum nobiscum & posterius.

LXXXIX. Secunda & Perezij propria responsio ita sonat: *Judicium Superioris debet præcedere judicium inferioris de rebus agendis & eligendis. At certissimum est, judicium Divinum præcedere electionem Divinam; nam DEUS, antequam Mundum crearet, Sapientiâ suâ æternâ, quæ præcedit omnia creata, judicavit, quid sibi esset faciendum; & electio Divina æterna præcedit omnem electionem temporalem, & omne judicium creaturæ, ipsiúsque judicium supponit judicium Divinum.* Ergo creatura non potest habere superio-

perioritatem Jurisdictionis respectu DEI Percepimus. Sed contra. Hoc modo perfectior in DEO fieret Obedientia. Nam, ut S. Thomas tradit 2. 2. q. 104. a. 3. *Tantò videtur Obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellectâ.* Quapropter si lumen Intellectûs Divini ab æterno detegeret, quid creatura sit præceptura, jam ipsa electio creaturæ, non quidem ut actu è causis suis evoluta, sed ut prævisa, seu prioritate quasi naturæ, posset antecedere electionem DEI, ut obedientis, quemadmodum juxta Adversarios conditio onerosa, quam suo tempore apponunt Justi, præcedit voluntatem conferendi Gloriam promissam, ac ita debitam Justis ex titulo Justitiæ Commutativæ. Ergo etiam hæc responsio vel in neutrâ, vel in utraque Virtute stringet, tam Justitiæ scilicet, quàm Obedientiæ.

SECTIO IV.

Exponitur illud dictum Aquinatis: DEUS non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi.

XC. ANtequam hoc effatum exenteremus, juvabit, tertium Conclusionis nostræ Argumentum præmittere. Ita disputo. Repugnat ex vi ipsius Attributi Fidelitatis, quòd DEUS fidem promissi violet. Ergo repugnat pariter ex vi Dominij Divini, quòd DEUS rependat Jus quasi passivum Proprietatis ipsi juri activo, quod haberet Christus vel Electi adversus DEUM. Antecedens commune nobis est cum Adversarijs, ac deducitur ex eo ipso Attributo, unde illi potiora ac certiora credunt se jacula evibrare. Consequentia verò probatur. Idcirco prius sic repugnat, quia licèt violatio promissi excluderetur aliunde, v. g. ex Attributo Immutabilitatis Divinæ, cui opponitur omnis instabilitas voluntatis, aut ex Attributo Sanctitatis, cui dissonat quæcunque turpis actio, insuper tamen læderetur summa determinatio DEI ad conformitatem factorum cum dictis, qualis conformitas est ipsum exercitium Fidelitatis, ac hujus Attributi velut proprius character. Ergo idcirco repugnabit etiam alterum, quia licèt DEUS obligatur ad standum ijs, quæ promisit Christo infinitè digno, obligatione oriente ex Attributo Fidelitatis aut Justitiæ remunerativæ, accedens tamen obligatio Justitiæ Commutativæ læderet Dominium Divinum Proprietatis, cujus character est, agere semper & omnia pro jure suo ac plenâ potestate dominativâ. Confirmatur. Si DEUS per hypothesin impossibilem ponatur transgressor datæ

fidei, hæc difformitas non potest concipi, ut promanans ab infinitè perfectâ, sed potiùs limitatâ ac labili fidelitate. Ergo etiam, si DEUS per hypothesin, juxta nos impossibilem, ponatur tamen alteri tribuere jus suum rigorosum, hæc retributio non poterit concipi, ut promanans ab infinitè perfectâ, sed potiùs limitatâ potestate dominativâ.

XCI. Jam dispicere expeditum erit Divinum illud Oraculum 2. ad Tim. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet; seipsum negare non potest*, supra quem textum S. Anselmus ex D. Dionysio c. 8. de Div. Nom. ita subtiliter disserit: *DEUS Veritas est, quia DEUS est. Ergo à veritate cadere, est à Deo cadere. Hinc itaque DEUS se, id est, veritatem negare non potest, quia sic caderet à seipso, & DEUS non esset DEUS.* Ejusdem doctrinæ velut succum propinat Angelicus iis verbis in titulo allegatis. *DEUS non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur* 1. 2. q. 114. a. 1. ad 3. quasi diceret, DEUM non reddi debitorem, nisi ex determinatione & efficaciâ suorum Attributorum, seu ita, ut termini, qui debentur, non imminuant ac per consequens evertant, sed potiùs firment Attributa Divina, atque horum sint participatio, quantæ capax est creatura, non autem privatio & ruina.

XCII. Vide, ut denuò Perezius insurgat. Effatum hoc, inquit, S. Thomæ non aliud designat, quàm DEUM esse debitorem sibi ipsi, tanquam ultimo Fini, cum quo tamen consistit, DEUM esse debitorem etiam creaturæ, tanquam fini secundario impensi beneficii, ac fini primario utilitatis. Contra. Sic pariter DEUS defendi posset obligatus ex obedientiâ creaturæ, at simul sibi ipsi, tanquam fini ultimo. Sic insuper DEUS redderetur capax exercendæ Gratitudinis erga creaturam, si hæc jus suum, quod accepit supra utilitatem, remitteret DEO; nam talis donatio afferret rationem beneficii, quod definitur: *Res donatario grata, gratisque donata*, si nempe creatura intuitu mercedis non ageret, simul verò complementum quasi redderet Dominii Divini, ut summâ plenitudine præditi, quod utique deberet gratum ipsi Deo evenire. Rursus enim tale debitum Gratitudinis refundi posset denique in DEUM, tanquam Finem ultimum. Directè R. ex dictis n. 80. obligationem Justitiæ Commutativæ, si daretur, ablaturam esse ipsum jus quasi reflexum supra jus utilitatis intrinsecæ, quod haberet creatura; ablato verò hoc jure auferendum quoque Dominium Proprietatis perfectissimum, sine quo neque ratio Finis ultimi, seu Boni infinitè amabilis, & undequaque satiantis intelligi ampliùs valet.

XCIII. Opponi tamen potest, quod Angelicus pronuntiat in 2. Sent. Dist. 27. a. 3. ad 4. *DEUS non efficitur debitor nobis, nisi ex promisso, quia ipse bona operantibus præmium repromisit, & ideò non est inconveniens, si ab ipso* quis

quis mereri possit. Sed ista aut falsum, vel saltem ancipitem faciunt sensum, in quo prius ejusdem S. Doctoris effatum exposuimus, ergo &c. Respondeo, nec omittendum illud adverbium, quod Angelicus ibidem interponit: nisi *fortè* ex promisso; item addendas voces, quas immediatè subjungit: *Ex quo DEUS aliquo modo debitor est.* Nunc apparens gemini hujus textûs dissidium componamus. In priore, quo titulum currentis Sectionis adornavimus, negat D. Thomas, quòd DEUS simpliciter sit debitor, nisi sibi ipsi, nempe quia determinatio ad aliquid agendum profluere non potest, nisi ex perfectione Attributorum DEI, neque aliud debitum accedere, quod illis officiat. In posteriore verò textu admittit, quòd DEUS *aliquo modo* sit debitor alteri, nimirum loquendo latè, sicut & debitum Fidelitatis dicitur esse *ad alterum*; quamvis ex tenore ejusdem alterius textûs eluceat, quod S. Doctor potiùs propendeat in eam sententiam, præmia nimirum retribui Electis ex Justitiâ, quam ibi commemorat, Distributivâ, ac idipsum expressè docet in c. articuli objecti. Hujusmodi verò Justitia non respicit debitum strictum in illis, quibus præmia distribuuntur.

SECTIO V.

Perpenduntur aliæ Instantiæ, & præsertim de Creatura rationali essentialiter servâ & simul amicâ DEI.

XCIV. PErezius citatus aliam quoque affert Instantiam, quæ primâ fronte apparet non levem contra nos impetum facere. Illa sic habet. Bene sibi conveniunt, & in uno Supposito valent simul consistere Servitus & Amicitia creaturæ erga DEUM juxta illud Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*; & tamen v. 20. Christus, eosdem Apostolos alloquens, repetit nomen servi, ubi inquit: *Non est servus major Domino suo.* Ergo poterit etiam componi Dominium DEI perfectissimum cum obligatione DEI ex titulo Justitiæ Commutativæ. Probatur Consequentia. Nam & Amicitia species quædam contractûs est, atque præbet jus ad communicationem amicabilem bonorum, ergo &c.

XCV. Instantia hæc, si eam accuratè trutinemus, in nostrum magìs favorem propendet. Sic illam assumo.

Servitus propria creaturæ, & ab hac essentialiter imbibita, seu per quam omnia illius bona remanent devincta Juri Divino Proprietatis, persistere ac componi debet etiam cum præsente amicitiâ ejusdem creaturæ respectu DEI. Ergo nobiscum tradere oportet, quòd obligatio DEI ad redamandam creaturam, amicam suam, oriatur unicè ex Fidelitate DEI, in quantum ille sibi ipsi obligatus est quoad talem communicationem amicabilem propter ipsam Gratiam sanctificantem, quæ à Doctore Gentium ad Eph. 1. vocatur *Spiritus promissionis* & *Pignus Hæreditatis nostræ*; vel ex Justitiâ, quam appellant Providentialem DEI, in quantum hic rursus est obligatus sibi ipsi ad operandum conformiter exigentiis rerum tam in Oeconomiâ Naturæ, quàm Gratiæ; Tridentinum verò Sess. 6. cap. 7. docet, quòd Gratia gratum faciens non minùs tribuat effectum formalem *Amici Dei*, quàm *Justi*. Unde, si denuò hypothesin impossibilem construamus, in quâ nimirum DEUS non stet amicitiæ Legibus, neque Justos reciproci sui amoris & arcanorum participes reddat, equidem intelligi adhuc potest ac debet, quòd DEUS agat pleno jure suo, & tanquam cum suis propriis servis, quibus nullum jus strictum contra Dominum competat, & qui denique fateri teneantur, quod Christus ipse ajebat Luc. 17. *Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Concludo. Ergo si objectus Amicitiæ contractus non potest præjudicare perfectissimo DEI Dominio, simpliciter statuendum est, illud non posse componi cum obligatione DEI ex titulo Justitiæ Commutativæ.

XCVI. Confirmatur hæc responsio *ad Hominem*. Potiores Adversarii subscribunt S. Thomæ docenti 1. p. q. 12. a. 4. quòd DEUS naturaliter à nullo intellectu videri possit. Et quare istud? quia omnis creatura est perfectissimè subjecta Dominio Divino, tanquam opus suo factori, & tanquam servus Domino. De essentiâ verò Domini est, posse disponere de re suâ ad libitum in propriam præcisè utilitatem &c. Præterea, ubi sibi objecerunt, quòd saltem Intellectus creatus, quando Lumine Gloriæ instructus est, vel complexum ex hoc Intellectu & Lumine, possit exigere Visionem Dei, communiter ac bene solent reponere, quòd hoc non obstante semper remaneat prior naturalis improportio creaturæ ad exigendam Visionem, ac per consequens & illa Servitus, quæ eidem creaturæ essentialis est; partem verò dicti complexi, seu Lumen Gloriæ, esse formalem elevationem, & collationem Privilegii ac favoris indebiti secundùm nobile illud Irenæi de DEO l. 4. c. 37. *Homo ipsum non videt, ille autem volens videtur ab hominibus, quibus vult.* Infero. Sed non minùs pertinet ad Dominium perfectissimum DEI, ut pro quocunque statu, & quacunque factâ hypothesi ad argumentandum utili, possit disponere pro Jure suo de creatura, ergo &c.

XCVII.

XCVII. Altera Instantia ex Attributo Libertatis Divinæ depromitur. Audiamus. Libertas hæc non desinit esse perfecta infinitè, licèt DEUS in sensu composito Decreti liberi de condendo Universo non possit decernere, quòd nihil creet, sed solus ille remaneat sibi *Mundus & omnia*. Item decretâ Incarnatione Dominicâ jam nequit eadem Libertas resilire à suo proposito, ac omni humanitati subtrahere Unionem hypostaticam, & tamen memorata Libertas adhuc intelligitur Divina & perfectissima. Ergo nec Dominium Proprieatatis in DEO desinet esse perfectum infinitè, licèt DEUS in sensu composito Promissionis Gloriæ, aut Messiæ submittendi, non possit suis promissiariis, ut loquimur, denegare jus strictum, illis retribuendum.

XCVIII. Respondeo, concedendo Antecedens quoad priorem partem, & negando Consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Attributum Libertatis Divinæ non requirit, ut actu componatur utrumque extremum contradictionis, ut volitum simul & non volitum, sed potiùs denotat potestatem eligendi unum præ altero, qualis potestas non eliditur per determinationem Voluntatis Divinæ ad unum, sed magìs reducitur in actum. Dominium verò Proprietatis perfectissimum est potestas disponendi plenè de re, tanquam suâ; hæc verò potestas jam decresceret, ac per consequens concideret, si creatura Gloriam sibi haberet rigorosè devinctam, ac eam numeraret jure inter res suas, neque DEUS eandem posset absque ullius injuriâ derogare. Imò oppositam Instantiam denuò in rem nostram convertimus. Repugnat, quòd actus secundus Libertatis auferat aliquod constitutivum actûs primi ad illum præsuppositi. Ergo repugnat pariter, quòd actus secundus Dominij Divini Proprietatis auferat aliquod constitutivum proportionalis sui actûs primi, sive ut sit abdicatio alicujus Juris rigorosi, quod tamen, ut penitus inabdicabile, concipi ac salvari debet. Porrò ad illud, quod eidem Antecedenti secundo loco insertum est, reponimus, Libertatis quidem Divinæ non esse, ut reipsâ efficiat Voluntatem Divinam versatilem, & qualis sæpe hominum est, ambulatoriam; nihilominus si per hypothesin impossibilem DEUS substituisset electionem de Universo non condendo electioni jam præhabitæ de eodem Universo condendo, enimverò substituta ea electio intelligeretur provenire ex vi, efficaciâ, ac determinatione Libertatis Divinæ in suâ lineâ spectatæ, neque tunc DEUS concipi posset, ut necessariò, sed ex propriâ optione volens; licèt infringens, si quæ dedisset, promissa, audiret infidelis, vel absque fide datâ resiliens audiret mutabilis.

XCIX. Tertia Instantia iterum derivatur ex Attributo Omnipotentiæ. Hæc, inquiunt, manet in possessione producendi quidlibet, cujus aperta contradictio ostendi nequeat. Nulla verò ejusmodi contradictio ostendi

poteſt in dono aliquo creato, quod ſit velut arrha & pignus interpellans, ut creaturæ rationali rependatur à DEO aliud donum, tanquam debitum illi creaturæ ex Jure hujus activo adverſus ipſummet DEUM. Reſpondeo imprimis per Retorſionem. Dominium Divinum Proprietatis, tanquam aliunde demonſtratum, manet in poſſeſſione pleniſſimi ſui ac illimitati Juris ad diſponendum. Ergo non poterit dari tale pignus pro creaturâ rationali interpellans. Directè oſtenditur contradictio. Hæc enim ſe teneret tum ex parte dicti Dominii, quod eſſet pleniſſimum, utpote infinitè in ſuâ etiam lineâ perfectum, & ſimul non eſſet pleniſſimum, quia carens aliquo conſtitutivo Dominii, quatenus pleniſſimi, ut commonſtratum eſt n. præcedente; tum contradictio emergeret in ipsâ illâ creaturâ rationali, quæ remaneret ſerva, prout debet, & non remaneret, prout debet, quia habens jus ſtrictum adverſus Dominum ſuum ſummè abſolutum. Sed de Attributo Omnipotentiæ jam egimus n. 85. Addendum hoc unicum. Si Omnipotentia Divina, ſtante Decreto DEI de non condendo v. g. altero Univerſo, haud ampliùs valeret producere plures ac plures novos Mundos, ſiſtendo nempe juxta dicta intra lineam Omnipotentiæ, tunc illa bene diceretur impotens, etiam ſuo modo antecedenter ad hujuſmodi Decretum, quia jam ibi verum eſſet dicere: Omnipotentia non eſt virtus ex ſe productiva omnis effectûs intrinſecè poſſibilis. Ergo non diſſimiliter, ſi Dominium Divinum Proprietatis, ſtante Decreto vel Promiſſione DEI, conferentis jus rigoroſum creaturæ adverſus ſeipſum, non poſſet ampliùs diſponere de rebus pleno jure, ſiſtendo iterum intra lineam hujus Dominii, tunc illud bene diceretur imperfectum etiam antecedenter ad talem promiſſionem, quia jam ibi verum eſſet dicere: Dominium Divinum non eſt virtus ex ſe diſpoſitiva legitimè ac plenè de omni termino juris intrinſecè poſſibili. Amplior nobis circa hæc, ſicut & circa motivum Virtutis Juſtitiæ ſermo fuit in P. 3. Sect. cit. noſtrorum Stromatum, quæ proinde hîc non repetenda.

DIF-

DIFFICULTAS V.

Quomodo conciliari inter se debeant Attributa Divina?

SECTIO I.

Traduntur quædam Regulæ pro Discursu de Perfectionibus Divinis.

C. PRima sit. Ex eo, quòd DEUS obligatus sit ad dandum e.g. Justis in Gratiâ decedentibus Præmium æternum ex titulo Fidelitatis Divinæ, nondum ritè infertur, quòd idem Præmium debeat ex alio titulo, ut in præsenti ex titulo Justitiæ Commutativæ. Probatur Inductione. Ex eo, quòd DEUS debuerit ponere Incarnationem Dominicam ex vi promissionis Patribus antiqui Testamenti factæ, nullum tamen debitum fuit ad eandem Incarnationem ponendam ex vi Bonitatis Divinæ; unde & Adversarij, ad quos modò argumentamur, huc revocant illud Davidis nomine Christi pronuntiatum: *Bonorum meorum non eges* Psal. 15. Imò fatetur P. Suarez, præcipuus Justitiæ rigorosæ in DEO propugnator, quòd si DEUS promisisset Gloriam Electis absque pacto iis oneroso, jam præmium hoc fore debitum ex titulo Fidelitatis, non autem hujusmodi Justitiæ. Pete, si lubet, Instantiam etiam ex creatis, ubi Clerici Beneficiati obligantur expendere redditus congruæ suæ sustentationi residuos ad causas pias, sed ex titulo Legis Ecclesiasticæ, non autem Justitiæ, ut latè prosecuti sumus in Tract. de Jur. & Just.

CI. Altera Regula, Implicat, creaturam ita participare de Perfectionibus Divinis, ut hæ propterea deperdant aliquid de seipsis, aut propria earundem quasi Sphæra coarctetur. Ita repugnat, Scientiam, Omnipotentiam, vel Immensitatem DEI diminui, eò quòd Electi futura annuntient, prodigiosa patrent, vel replicati magis participent de Immensitate; imò nec ista foret participatio sed detractio Perfectionis Divinæ, quæ hoc modo caderet à seipsâ, ut probavimus n. 91. seu amitteret, quod tamen necessariò & essentialiter est. Igitur nec DEUS poterit ita communicare creaturæ Dominium, ut hoc communicatum tollat integritatem Dominii illud communicantis, quod tamen contingeret, si DEUS ex obligatione Justitiæ Commutativæ deberet Electis bene meritis con-

conferre gloriam. ac per consequens non posset uti re suâ in quibuscunque circumstantiis & ad quoslibet usus citra injuriam alterius, seu non posset promissa Præmia sine injustitiâ non producere, aut producta iis Electis denegare.

CII. Tertia Regula. Ad id ipsum deprehendendum, an ex certa participatione, circa quam litigatur, decrescat aliqua Perfectio Divina, opportunas esse hypotheses possibiles vel impossibiles. Possibiles sunt, quas Instantiæ ex creatis petitæ afferunt. Ita si voluntas creata, ac in observatione præceptorum labilis, imperet sibi esum carnium, quando urget præceptum jejunii, intemperans quidem est; at si easdem carnes absumat, ex proprio macello allatas, ac verè suas, non agit contra jus activum alterius creaturæ, ac ita cibis illis vescitur, ut domina eorundem; quod idem procedit in divite, quando pauperi indigenti non succurrit; ubi emergere potest læsio misericordiæ & charitatis absque læsione Justitiæ. Assurgendo jam ad Divina, si ponatur DEUS per hypothesin impossibilem denegare promissam Gloriam, talis dispositio non intelligeretur, ut injusta, neque illicita, si attendatur præcisa ratio Dominij Divini, seu, breviùs loquendo, Deus per impossibile frangens suam promissionem faceret contra Attributum Fidelitatis, sed non simul contra alium titulum Justitiæ; imò negationem Gloriæ posset in eo casu conjungere ex vi præcisa sui Dominii cum negatione omnis injuriæ factæ creaturis.

CIII. Quarta Regula. Subinde oritura contradictio, si DEUS non poneret certum actum, v. g. collationem Gloriæ, infert plenitudinem certi Attributi Divini, subinde autem vacuitatem & defectum alterius Attributi, sumendo ea rursus præcisivè. Ostenditur. Si DEUS negaret Præmia justis promissa, desineret in DEO Attributum Fidelitatis, quæ est metaphysica determinatio ad conformanda facta dictis, ac per consequens excludit oppositam difformitatem. Igitur, quòd DEUS nequeat infringere promissa, stando intra lineam Fidelitatis, oritur ex infinita perfectione ejusdem Attributi, neque hoc lædit, sed potiùs firmat ac infert. E contrario, si contradictio foret, negare eadem Præmia citra injuriam rigorosam justorum, jam impossibilitas ita negandi illa argueret Dominium Divinum limitatum, & cujus non sit, disponere plenissimè pro jure suo. Breviùs. Si DEUS non deberet implere datam fidem, neque esset perfectissimè Fidelis. At si non posset negare promissa citra injuriam alterius, non esset perfectissimus Dominus, ut in tota hac Difficultate satis probatum.

SECTIO

SECTIO II.

Usus praecedentis doctrinae in gemino Paradigmate, nempe circa Controversias de Peccato essentialiter irremissibili, ac de Creatura rationali essentialiter impeccabili.

CIV. JUvat hîc viatores imitari, qui diutiùs progressi in adsitam planitiem se conferunt, ut majores vires recipiant, vel in propinquum montis cacumen ascendunt, unde propositum itineris terminum prospiciant, ac ita vegetiores pergant, quò ire statuerunt. Celebratus in Scholis casus est, quem posuit Card. de Lugo Disp. 8. de Pœnit. Sect. 1. ita discurrens: *Potuisset DEUS saltem de Potentia absoluta nolle remittere peccatum homini etiam pœnitenti, & potuisset hoc suum Decretum alicui revelare, ita ut homo obligatus esset ad illud credendum, quo casu, si homo culpabiliter nollet credere illi revelationi sufficienter proposita, peccaret graviter contra Fidem; & illud quidem peccatum ex suis principijs intrinsecis esset irremissibile peccatum; nam si posset remitti, posset esse falsa revelatio de non remittendo ullo peccato homini pœnitenti: si enim remitteretur, falsum esset, quòd nunquam esset remittendum. Cùm ergo essentialiter repugnet, poni illud peccatum, & subsequi ejus remissionem, fatendum est, illud peccatum per sua intrinseca tale esse, ut nullâ pœnitentiâ positâ posset auferri.* Hucusque Eminentissimus; ubi apparet, casum hunc constructum esse quasi supra fundamentum tum Libertatis Divinae, quasi haec posset suo Decreto inducere, atque Omnipotentiae, quasi haec posset exequi talem revelationem, cum quâ connexum peccatũ redderetur essentialiter irremissibile.

CV. Nolim ego, quam in Praelectionibus meis institui, paritatem modò exponere cum Peccato essentialiter impunibili, quod ex casu similem in modum constructo legitimè, ut opinati sumus, inferretur; sed potiùs ex doctrina praecedentium Sectionum ita argumentor. DEUS est infinitè misericors: Ergo repugnat Peccatum essentialiter irremissibile. Antequam probem Consequentiam, recolendum est, quod tradit Angelicus 1. p. q. 21. a. 3. in c. *Tristari de miseria alterius, non competit DEO, sed repellere miseriam alterius, hoc maximè ei competit, ita ut per miseriam quemcunque defectum intelligamus*; ac ibidem inferiùs: *In quantum perfectiones data rebus à DEO omnem defectum expellunt, pertinet ad misericordiam*; atque articulo sequente itidem in c. superaddit, quòd non omnis defectus propriè dici possit miseria, sed solùm *defectus rationa-*

rationalis natura, quam contingit esse felicem. Nam miseria felicitati opponitur. similiter q. 25. a. 3. ad 3. tradit, *quòd DEI Omnipotentia ostenditur maximè in parcendo & miserando, quia per hoc ostenditur, DEUM habere summam potestatem, quòd liberè peccata dimittit, vel quia parcendo hominibus & miserando perducit eos ad participationem infiniti Boni.* Quapropter, cùm S. Thomas exponat Attributum Misericordiæ Divinæ, quale extitisset, quamvis DEO nihil producente ad extra, sanè ea doctrina accipi debet de potentia repellendi quamcunque possibilem, quæ ponitur, miseriam, ac præsertim peccatum, quæ propriè miseria est, ac miseriarum maxima. Jam probanda, ut promisimus, prior Consequentia. Non possunt simul consistere & ratio Misericordiæ Divinæ, seu vis depellendi omnem miseriam felicitati oppositam, qualis maximè est peccatum, & simul aliqua talis miseria, quæ incapax sit, ut ita depellatur. Ergo, si DEUS est Infinitè misericors, repugnat Peccatum essentialiter irremissibile. Probatur Antecedens. Nam si ita simul consisterent, tunc vel decresceret illa vis depellendi omnem miseriam, eo ipso, quòd possibile foret aliquod peccatum, ad quod se illa vis non extenderet, vel stante hac virtute universali peccatum evaderet remissibile; igitur nec possunt simul consistere illa ratio Misericordiæ Divinæ, & miseria peccati essentialiter irremissibilis. Subsumitur, Atqui repugnat, decrescere Attributum Misericordiæ Divinæ, Ergo pariter repugnabit Peccatum ita irremissibile.

CVI. Confirmatur argumento ex Tractatu de Incarnatione, cui inhæremus, desumpto. Vel hujusmodi peccatum essentialiter irremissibile posset etiam dari in sensu composito cum existente Christo, ac infinitis hujus Meritis, vel tunc dari non posset? Neutrum bene responsuri videntur Adversarij. Si enim dixerint primum, opponitur, quòd *copiosa* non foret *redemptio* à Christo exhibita, sicut ea verba Psalmi 129. de illo explicat Lorinus; quòd non haberemus *redemptionem per Sanguinem ejus, Remissionem peccatorum, secundùm divitias Gratiæ ejus*, hoc tamen attestante Apostolo Eph. 1. neque verum esset, quòd *Sanguis ejus emundet ab omni peccato.* ut tamen legitur 1. Joan. 1. si nempe Divini Sanguinis latex exaresceret ad conspectum talis peccati, atque exhaustis quasi illis divitijs Merita DEI-Hominis non haberent vim in actu primo tollendi idem peccatum, & idcirco non tantùm non superabundarent eo delicto, sed hujus ponderi removendo succumberent; neque etiam contrarius quoad hanc partem est Cardinalis de Lugo, ut apparebit consideranti illius principia, è quibus deducit sufficientiam Meritorum & Satisfactionis Christi pro nostris peccatis Disp. 6. de Incarnat. Sect. 1. Quòd si Adversarij secundum prioris Dilemmatis membrum elegerint, ita prosequimur. Non est minor vis & efficacia

efficacia in actu primo ipsius Misericordiæ Divinæ ad tollendam omnem miseriam peccati, quàm sit vis & efficacia in actu primo ipsius Christi, tanquam Causæ Meritoriæ. Atqui hæc altera vis & efficacia excludit peccatum essentialiter irremissibile, seu cujus remissio non posset rependi Meritis Christi, tanquam eorundem præmium. Ergo etiam prior vis & efficacia excludet ejusmodi peccatum, sive cujus remissio non posset esse effectus Misericordiæ Divinæ. Major per se constat, quia tam Misericordia, quatenus Divina, quàm etiam Merita Christi, quatenus sunt tanti valoris, habent formam vel quasi formam simpliciter infinitam, ut in Difficultate subsequente ex proposito defendemus. Minor verò ostensa jam est ex ipsa Redemptionis Dominicæ plenitudine & exuberantiâ in actu primo. Quapropter adigi videntur Adversarij ex consequentiâ propriæ doctrinæ, ne admittant pro eo statu, quo daretur Christus, possibilem Revelationem, quæ tunc inveheret irremissibilitatem essentialem alicujus peccati. Subsumitur. Atqui vis & efficacia in actu primo ipsius Attributi Misericordiæ Divinæ salva debet conservari pro omni statu possibili. Ergo peccatum essentialiter irremissibile repugnat, loquendo etiam de potentiâ absolutâ.

CVII. In promptu essent Sanctorum etiam Patrum pro hac Doctrinâ Sententiæ, qui eos solos peccatores diffidere jubent de Misericordiâ DEI, qui tantum peccare possint, quantum DEUS bonus est, hoc est, neminem ex peccatoribus, imò ex eo, quòd Misericordia DEI sit *præstabilis super malitijs* Joëlis 2. deducunt, nullum peccatum de præsenti dari, quòd à DEO remitti non possit, exclamante S. Chrysostomo supra illa verba Ps. 50. *secundùm magnam misericordiam tuam; Dixisti magnam; dic quantam? Nescio. Nam quòd magna sit, perspectum habeo: at eam metiri ac comprehendere nequeo. Magnitudinis quantitatem ignoro. Mens eam non percipit, lingua non explicat*; ac inferiùs: *Quid? Substantias intelligentiâ præditas, & corpora, quæ priùs non erant, ipsius sermo efficit, & peccata solvere non potest? quid enim est peccatum, si cum Domini benignitate conferatur? Aranea tela. Ventus flat, & aranea tela disrumpitur &c.* Sed Aureæ hujus Suadæ torrens interrumpendus. Illud duntaxat animadverto, exinde paradigma afferri posse, cui usui sit doctrina in præcedente Sectione tradita. Sic enim opponi posset. Non repugnat peccatum extrinsecè irremissibile. Ergo nec repugnabit peccatum intrinsecè seu essentialiter irremissibile. Respondeo Negando Consequentiam. Disparitas est, quia si DEUS faceret Decretum, quòd nollet remittere certum peccatum, quamvis non revelando hanc suam voluntatem, sequeretur quidem, peccatum illud reipsâ nunquam remittendum esse, at simul staret, peccatum illud remitti posse vi Misericordiæ Divinæ, quà talis ac præcisivè acceptæ, unde nec præjudicium fieret ulli Perfectioni

Divinæ. E contrario peccatum essentialiter irremissibile læderet ipsum Attributum Misericordiæ, ut abundè deductum, ergo &c.

CVIII. Alterum Paradigma se offert in Controversia de Creaturâ rationali essentialiter impeccabili, cujus possibilitatē latè propugnat P. Arriaga Tom. 1. in 1. p. Disp. 5. sect. 4. Noster verò conatus ad eum duntaxat scopum collimat, an, si talis creatura dicatur possibilis, quod nobis hucusque probabilius visum est, eclipsin velut pateretur aliqua Perfectio divina? Variæ in Quæstionem venire possent, nempe Divina Bonitas, ac supremum Dominium Jurisdictionis. Inferri siquidem posse apparet, producibilem quoque futuram aliam creaturam, quæ foret essentialiter determinata ad malum, quod offenderet Bonitatem Divinam; item talem creaturam essentialiter impeccabilem fore sibi ipsi Regulam moralitatis, ac eapropter incapacem Præcepti à supremo Domino Jurisdictionis imponendi. Præterea controverti posset, an ita relinquatur potestas Judiciaria DEI, ad quam videtur spectare, ut ille quamlibet creaturam possit etiam juxta hujus demerita æternùm damnare, vel saltem an Immutabilitas in bono, aut Immortalitas exclusiva cujuscunque mortis etiam moralis, ut loquuntur, imò & Aseitas remanerent, ut convenientes soli DEO? Verùm sequelas hasce pluribus, quæ parata jam habueram, insectari ac repellere, præsentis paginæ angustia non suscipit. Unde viam, ex quâ nonnihil digressi sumus, relegendo, ita rursus opponi posset. Creatura rationalis essentialiter impeccabilis inveheret defectum in ipsum Dominium DEI, ad quod spectat, posse creaturas suas tractare, ut servas, & per consequens excludere ab hæreditate DEI, quæ reposita est in complexo Visionis & Amoris Beatifici. Ergo vel repugnabit hujusmodi Creatura impeccabilis, vel intercepta erunt Principia, quæ hactenus moliti sumus. Probatur Sequela. Creaturæ enim ita impeccabili deberentur vires ad observanda omnia præcepta etiam supernaturalia, cùm implicet intrinseca determinatio ad eam custodiam mandatorum, si desint vires proportionatæ; hæ verò deficerent nisi præstò forent comprincipia supernaturalia. Subsumitur. Atqui creaturæ ita instructæ, & obedienti, congrueret illud Christi; *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* Joan. 14. verbo, creatura illa exigeret esse Hæres DEI, ergo &c.

CIX. Respondeo, Negando Sequelam. Ad hujus probationem Distinguo Antecedens. Deberentur illæ vires absolutè & absque aliâ hypothesi gratuitâ N. A. conditionatè & factâ hypothesi gratuitâ Statûs Elevationis, ac præceptorum supernaturalium C. A. Objectio videtur ex eo laborare, quòd creaturam rationalem intrinsecè supernaturalem, de quâ nobis sermo fuit n. 96. non concipiat ad amussim; illa

illa enim foret, cui connaturaliter deberetur finis supernaturalis, aut potentia ad illum pertingendi, absolutè loquendo. Neutrum haberet Creatura rationalis essentialiter impeccabilis, Satisfieret enim illius exigentiæ, modò obtineret finem naturalem, à quo, ne deflecteret, determinata esset. Cæterùm conditionato illo debito non premimur. Nam & creaturæ rationali peccabili debentur vires proportionatæ ad observanda præcepta supernaturalia, ut luculentum fit ex Decretis Pontificum profligantium hanc Propositionem I. Jansenii; *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis Gratia, quâ possibilia fiant.* Sed redeundum ad semitam.

SECTIO III.

Deducitur, Satisfactionem Christi non decrescere, quamvis ea dicatur non esse juxta totum rigorem Justitiæ.

CX. Dico. Ex hoc, quòd Satisfactio Christi dicatur non esse juxta totum rigorem Justitiæ, illa nequaquam decrescit aut deprimitur; sed integra stat, imò elevatur. Probo. Si Satisfactio Christi foret juxta totum rigorem Justitiæ, decresceret forma vel quasi forma ejusdem Satisfactionis, quæ est infinitus illius valor proveniens ab ipsâ Dignitate infinitâ Personæ Verbi, ut commonstrabitur in Difficultate sequente; ex opposito, si illa Satisfactio dicatur non fuisse juxta totum rigorem Justitiæ, perstat integra ea forma vel quasi forma Satisfactionis, ergo &c. Probatur hoc Antecedens. Admisso eo rigore cessaret Dominium penitus absolutũ ac perfectissimum in DEO, ut satis liquet ex Sectione II. hujus Difficultatis, ergo decresceret pariter illa quasi forma Satisfactionis Christi. Consequentiæ istius veritas rursus se magis pandet in memoratâ Difficultate 6. & 8. ubi asseremus, infinitum valorem Meritorum, neque minùs Satisfactionis Christi, procedere tum ab ipsâ Personalitate Verbi, tum à Naturâ Divinâ; desineret autem ea utraque infinitas, ac jam fine clauderetur, si adesset, quam hucusque ostendimus, impuritas obligationis ex titulo Justitiæ Commutativæ, imò, quod exinde necessariò consequitur, deficeret in DEO Perfectio aliqua simpliciter simplex, nempe Dominium, quo perfectius cogitari non potest. Quapropter idem foret, Satisfactionem Christi hoc insuper, ut existimatur, honore redimire, quòd ea scilicèt prædita fuerit æqualitate ad

totum rigorem Justitiæ, ac gemmam primæ magnitudinis Coronæ, ad normam ubivis elaboratæ, detrahere, ut illa magis splendida, & nobili ideæ conformis reddatur. Profectò Majestas Divino Humana non relinqueretur, si hæc Divina non esset. Neque verò Divina esset, nisi resplendens omnium Perfectionum Divinarum luce. Sed etiam hac destitueretur, si Dominium Divinum Proprietatis sustuleris; istud verò sustulisti, ubi Satisfactionem Christi juxta totum rigorem Justitiæ defendis, cujus deductionis seriem ex dictis sponte descendere, ac stabili vinculo connecti arbitramur.

CXI. Probo secundò. Non decrescit valor Satisfactionis Christi, etiam juxta Adversarios, eò quòd non reddiderit proinde obligatum DEUM ex titulo Obedientiæ aut Gratitudinis versus Christum. Ergo nec decresceт, eò, quod non reddiderit obligatum DEUM ex titulo Justitiæ Commutativæ. Consequentia & paritas iterum exposita jam est Diff 4. Sect. 3. Sed nec malè, aut frustra repetitur.

CXII. Confirmatur *ad Hominem*. Valor Meritorum Christi decresceret, si in sensu composito eorum daretur Peccatum, cujus illa remissionem non possent promereri. Ergo & decresceret valor Satisfactionis Christi, si stante hac DEUS obligaretur ex titulo Justitiæ rigorosæ ad dandam veniam, Gratiam, & Gloriam &c. Antecedens denuò probatum jam est n. 106. Consequentia verò ostenditur. Ideò ille valor Meritorum Christi decresceret, quia talis potentia in actu primo ad merendum diminueretur eo ipso, quòd assignari posset subtractus aliquis terminus, ad quem tamen ea virtus, si infinita foret, deberet extendi. At similis ratio militat in casu nostro. Nam & valor Satisfactionis Christi non haberetur ampliùs ex infinitâ dignitate DEI satisfacientis, quia hic decideret à seipso, tanquam deperdens aliquod Attributum pertinens ad eam infinitudinem, eo ipso, quòd assignari posset aliquis terminus, qui subverteret plenitudinem Dominij Divini Proprietatis. Deprimi igitur necesse esset Satisfactionem Christi, si desineret virtus illam infinitè extollendi; elevabitur verò eadem Satisfactio, si dicta plenitudo Dominii Divini nobiscum illibata retineatur.

CXIII. Opponi extremùm possunt quædam eloquia S. Scripturæ, quæ Christum extollere videntur ob satisfactionem illius pro peccatis hominum ad omnes canones Justitiæ. Sic enim Apostolus inquit 1. Cor. 1. quòd Christus nobis factus sit *Sapientia à DEO & Justitia*, item illum esse *propositum à DEO propitiationem per fidem in Sanguine ejus ad ostensionem justitiæ suæ* Rom. 3. atque obvia sunt SS. Patrum testimonia, quibus asseritur Princeps Tenebrarum divictus esse à Christo *non violentiâ potestatis, sed veritate justitiæ*. Sed hæc ac similia non nisi contorto ac alieno in sensu explicari possunt, si Satisfactioni Christi denegetur æqualitas juxta totum rigorem Justitiæ, ergo &c.

CXIV.

CXIV. Quod ad Authoritatem nostræ Sententiæ attinet, plus quàm sufficientem à nobis jam ministratam credimus P. 3. Strom. Q. cit. tum etiam, qui dissentire prætendebantur, Doctores Hipponensem & Angelicum, partibus nostris legitimè vendicatos. Sed neque hîc penitus obmutescendum. Quæro, an Adversarii juxta totum rigorem interpretentur ea verba Gen. 32. Israël, id est, *dominans DEO?* An voces illas *obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israël* Ios. 10. ad libellam Virtutis Obedientiæ exæquent? An *emendum* verè pretio *aurum ignitum*, seu Charitatem velint, quod ipse Angelicus inter metaphoras collocat in 2. Sent. Dist. 27. a. 3. c. Insto, perquirens, an factâ hypothesi, quòd DEUS non obligâsset se promisso ad retribuenda justorum operibus præmia, ista tamen non fuissent rependa DEI & hujus Mandatorum cultoribus ex solâ Justitiâ Distributivâ, qualem insinuavimus ex Angelico n. 93. vel ex Justitiâ Remunerativâ DEI, aut Providentiali, sicut alii nuncupant, cujus nempe velut officium est, quemadmodum corpora per inditam gravitatem aut levitatem ad destinatos fines dirigere, ita substantias mente ac arbitrio præditas spe præmiorum & pœnarum metu ad finem ultimum quasi manuducere: quod si ita evenisset, adhuc pronuntiari poterat cum sufficiente vocis proprietate, quòd præmia illa rependerentur ex Justitiâ, ubi tamen defuisset controversus rigor, nec diffitente Eximio, ut annotavimus n. 10.

CXV. Directè respondeo, negando Minorem. Ratio est, quia remoto etiam illo rigore *Christus factus est nobis Justitia*, tanquam Causa meritoria justitiæ nobis inhærentis, continens Gratiam Capitis respectu corporis Ecclesiæ, ut docet S. Thomas 3. p. q. 8. per 6. articulos, atque exemplar omnis justitiæ juxta illud 1. Joan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem, JEsum Christum justum.* Præterea Christus fuit propositus à DEO *ad ostensionem Justitiæ*, nimirum Vindicativæ, vel, ut alii dicunt, Punitivæ, utpote quæ delictum noluit remittere fonti humano generi, nisi hujus Fidejussor DEUS-Homo exhiberet satisfactionem peccato Mundi haud minorem. Ex quo etiam promanat, Principem tenebrarum devictum esse *Justitiâ*, quia illius velut Jus activum servitutis supra homines peccatores extinctum fuit, ubi superabundans lytrum à Christo in Cruce numeratum est, atque à supremo Judice & Domino jam acceptatum, licèt hic idem absolutissimus Dominus retinuerit jus sibi proprium supra bona sui debitoris, ergo &c.

DIFFICULTAS VI.

Infinitas Meritorum Christi simpliciter dicta.

SECTIO I.

Adjudicatur Meritis Christi talis Infinitas.

CXVI. IN hac Controversiâ, quam P. Rhodes Disp. 1. de Incarnatione Q. 3. sect. 4. §. 3. *obscurissimam* compellat, nec minùs subtilem vocare potuisset, quinque nobis contemplanda, & eruenda sistuntur. Primum, & in hac Sectione stabiliendum est, quòd æquum omnino sit, adjudicare Meritis Christi Infinitatem simpliciter dictam. Alterum, quæ via ad hunc terminum & faciliùs ac securiùs deducat? Tertium, quibus armis obviandum Scotistis, qui Merita Christi propugnant, ut tantùm infinita secundùm quid, ubi repellenda jacula, quæ contorquet in Scholastico bello apprimè exercitatus Mastrius in 3. Sent. Disp. 3. Q. 8. Quartum, cur non sufficiat superioritas Ordinis respectu Meritorum Christi, cùm tamen ea sola asseratur respectu Peccati mortalis, etiam quatenus est offensa DEI? Quintum denique, quæ sit Radix hujus Infinitatis, cui non immeritò applices illud Alcimi Aviti l. 1. de Nilo dictum: *Ignoto plus nobilis ortu.* Sed ultima hæc duo capita, quia magni sunt in triplici Schola nominis, ideò peculiares etiam Difficultates à nobis superandas constituent.

CXVII. Dico. Merita Christi fuerunt simpliciter infinita, ac idem proportionaliter sentiendum ac tenendum de Satisfactione Christi. Probo. Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus* de Pœnit. & Rimiss. inquit, *acquisitum esse militanti Ecclesiæ thesaurum infinitum ex profluvio Sanguinis Divini pro nobis à Christo effusi*; tum interiectis paucis lineis subjungit, *non esse de hujus thesauri consumptione seu minutione aliquatenus dubitandum propter infinita Christi Merita*, quâ authoritate suppositâ ita argumentor. Si hæc verba possint accipi in eo sensu, quo jacent, ac in proprietate sermonis, tunc debent sic accipi. Atqui possunt, ergo debent. Major constat, quia ille sensus ac proprietas designat infinitatem Meritorum absque addito limitante, qualis prærogativa utique magìs extollit Merita ac Satisfactionem Christi, in quantum hæc evehit non purè ad ordinem altiorem supra reliqua finita, sed ipsam insuper finitudinem simpliciter dictam avertit. Debent autem ea Merita

rita extolli, quantum possunt, cùm velut jure suo exigant titulos, quos ipsis competere ostendi potest; tum patet ex universali illo principio, quòd tanti ponderis testimonia à propriâ significatione aliò transferre non liceat, ubi neque necessitas, nec gravis ratio id requirit. Porrò Minor Argumenti elucidabitur in Sectione 3. ubi modum verosimiliorem hujus Infinitatis simpliciter dictæ aperiemus. Subsumo: Atqui Infinitas, quæ potest, & idcirco debet attribui Meritis Christi, est ea, quæ simpliciter, ut talis, dicitur, sicut relatum ex Clemente citato, qui ait fine adjecto termino restringente *Thesaurum infinitum esse propter infinita Christi Merita*, Ergo &c.

CXVIII. Probo secundò. Apostolus ad Rom. 5. tradit sequentia: *Non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia DEI & donum in gratia unius Hominis JESU Christi in plures abundavit*; & ibidem iterum: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum JESUM Christum*, ubi teste Cornelio repetitum *multò magis* non tantùm designat excessum doni in seipso, sed præterea multò majorem potentiam, virtutem, ac robur, quo illud donum fuit inductum. Subsumitur denuò: Atqui hæc multò major potentia, virtus, ac robur non salvaretur, nisi Meritis Christi adjudicaretur Infinitas simpliciter dicta. Ergo talis Infinitas iisdem adjudicanda est. Probatur Minor subsumpta. Nam si Meritis Christi relinquatur sola Infinitas secundùm quid, etiam tali potentia in ordine ad inducendam mortem instructũ erat delictum; item si Merita Christi eleventur ad solam supergredientem lineam Ordinis altioris, etiam non absimilem lineam induxerat Delictum, utpote superius ad omnem offensam irrogatam creaturis, imò etiam ad omne meritum, quod eædem puræ creaturæ simul acceptæ valerent ullis viribus architectari. Cæterùm non me latet, disparem tamen ex eo capite utramque lineam accidere, quòd ordo obsequij à Persona infinitè dignâ DEO exhibita nihilominus transcenderet ordinem cujuscunque offensæ à creatura DEO illatæ, sed manifestum etiam reddemus in Difficultate sequente, quòd hæc ipsa collocatio Meritorũ Christi in ordine altiore non succedat è sententia, nisi illis eodem molimine adscribatur Infinitas simpliciter dicta.

CXIX. Confirmo. Merita Christi non sunt simpliciter finita. Ergo sunt simpliciter infinita. Antecedens desumitur ex authoritate allegata n. 117. Si enim forent simpliciter finita, non debuissent dici à Pontifice Clemente infinita absque addito limitante, ut ibidem animadvertimus, sicut Visio beatifica, & Amor fruitivus DEI non dicuntur actus simpliciter infiniti, quamvis & gaudeant Objecto terminativo simpliciter infinito, ac insuper superent omne beatitudinis genus, si

quod ex creaturis conquiri possit, vel etiā quamcunq; possessionē Dei nondum plenè beantem; id, quod contrarijs hîc Scotistis præsertim solvendum, qui peccatum mortale, etiam in ratione offensæ, simpliciter finitum esse nobiscum contendunt, cùm tamen eidem peccato relinquant infinitatem secundùm quid, item asserant, denominationem fieri debere secundùm partem debiliorem illius; debilior verò est finitudo simpliciter, quàm infinitas secundùm quid: hæc enim præter finitudinem includit etiam participationem aliquam Infinitatis simpliciter dictæ. Igitur & Pontifex Thesaurum in Meritis Christi abditum vel appellare duntaxat finitum, vel saltem non nisi cum restrictione infinitum dicere debuisset. Jam prior Consequentia ulteriori probatione haud indiget. Nam quod simpliciter finitum non est, simpliciter infinitum sit, oportet, cùm medium inter ea duo, nempe infinitas secundùm quid nondum tolleret finitudinem simpliciter dictam. Verùm hæ præliminares duntaxat rationes sunt, & secuturæ concertationis quasi prodroma velitatio.

SECTIO II.

Præcluduntur diversæ viæ vel ab Authoribus jam tentatæ, vel quæ iniri possent ad assequendam Infinitatem Meritorum Christi.

CXX. PErgimus, & per transcursas variorum Authorum, vel quæ in hac controversia teneri possent, opiniones, velut totidem Ostia, ad fœcundissimi, quem commemoravimus, Nili caput eluctari connitimur. Prima igitur opinio est, Satisfactionem ac Merita Christi reddita esse simpliciter infinita ratione objecti, nimirum rei infinitæ, seu Sanguinis Divini, quem pro hostia ac per modum pretij DEO Patri obtulerant. Ita P. Ragusa Disp. 14. de Incarnat. §. 2. cum alijs huc reducentibus illud 1. Petri 2. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso Sanguine, quasi agni immaculati Christi &c.* Refuto paucis. Ex hac Opinione sequitûr, quòd oblatio facta à Beatissima Virgine, quando hæc ad pedem Crucis obtulit æterno Patri Unigenitum suum pro salute hominum, fuerit Meritum valoris simpliciter infiniti; atque è contrario, quòd Sacrificium Christi offerentis DEO Agnum vel par columbarum, non fuisset Meritum valoris simpliciter infiniti. Neutra Sequela admitti potest, ergo nec Opinio, ex qua utraque illa descendit. Minor quoad priorem partem tum constat ex Assertis SS. Patrum, ut S. P. Augustini, qui in Enchir. c. 108. ait:

ait: *Neque per ipsum liberaremur Mediatorem Hominem Christum, nisi esset DEUS*, & S. Basilij supra Psalmum 28. commentantis: *Nullus alius poterat condignum afferre pretium*, atque S. Fulgentij de Incarn. & Grat. c. 4. dicentis: *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum Mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi DEI*, in quibus testimoniis innuitur, ipsum *liberantem, afferentem pretium, auferentem peccatum* debere esse Christum, & non hunc duntaxat respicere per modum objecti; tum confirmatur à priori, quia objecta non assimilant sibi perfectè ipsos actus, quos illa terminant, ut rursus manifestum est in Visione beatifica, quæ non redditur tam perfecta, ac est Deus, quamvis in hunc feratur, ut objectum suum immediatum. Altera verò pars ejusdem Minoris sic ostenditur. Sacrificium illud Christi offerentis agnum adhuc esset satisfactio & meritum infinitè dignum. Ergo esset valoris simpliciter infiniti. Consequentia liquet, quia ea dignitas hunc valorem fundat vel potiùs constituit, ut brevì asseretur. Antecedens verò probatur. Nam ideò res oblata in factam sui oblationem refunderet vim talis satisfactionis & meriti, quia ipsamet illa res includeret valorem simpliciter infinitum. Ergo Sacrificium illud Christi offerentis agnum adhuc esset satisfactio & meritum infinitè dignum. Quapropter recursus ob objectum Satisfactionis & Meritorum Christi neque sufficiens est, ut in priore parte probatum est, neque necessarius, ut in altera parte ostensum. Porrò textus ex S. Petro oppositus non adversatur. Reponimus enim, utique nos redemptos pretioso illo Sanguine, sed quatenus illum offerens impenderat dignitatem infinitam suæ Personæ, humiliando se & obediendo DEO Patri, ex quibus obsequijs ita provenientibus crescit valor moralis, qui in hujusmodi satisfactione considerari debet, ut non obscurè indicat Ecclesia, Festo Theophoriæ concelebrans *pretiosum sanguinem*; sed quia hunc *in Mundi pretium Rex effudit Gentium*, nempe Persona infinitè digna, quod tamen non ita attenditur in pretio materialiter spectato, quale v. g. mercator exigit pro merce, sive hanc emat Princeps, sive hujus Satelles, ergo &c.

CXXI. Secunda opinio est, opera Christi idcirco continere valorem simpliciter infinitum, quia sunt actiones Humanitatis sanctificatæ per ipsam Sanctitatem increatam. Ita P. Vasquez Tom. 1. in 3. p. Disp. 6. c. 2. Rejicio breviter. Apostolus 2. ad Philip. docet, *Christum JESUM, qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem DEO*, nihilominus *humiliâsse semetipsum, factum obedientem usque ad mortem, & propter hoc exaltatum illum &c.* ubi valor humiliationis & obedientiæ intra satisfactionem & Merita Christi deducitur non ex sola Humanitate, vel hujus prærogativis per Unionem hypostaticam acceptis, sed ex ipsa dignitate

Personæ Filij DEI. Ergo si possit ille valor ex hac dignitate secundùm se deduci, non debet tantùm derivari ex illa, ut communicatâ humanitati per unionem. Unde probatur Conclusio etiam ratione. Licèt humanitas Christi sancta sit per Sanctitatem infinitam, non tamen est ita sancta per identitatem, sed tantùm per unionem. Ergo neque est simpliciter infinitè sancta, sed duntaxat cum adjectis ijs terminis limitantibus. Subsumo. Atqui hoc modo neque Sanctitas Humanitatis poterit refundere infinitum valorem in actiones Christi. Sanè si convenienter possint Merita Christi attolli ad infinitatem illam majorem simpliciter dictam, & quæ per identitatem ijs competat, huc quoque mentem & calamum decet advertere, ergo &c.

CXXII. Tertia opinio est communior Theologorum, ut refert Card. de Lugo Disp. 6. de Incarnat. Sect. 2. nempe valorem infinitum Satisfactionis ac Meritorum Christi provenire ex infinitate Personæ operantis, à qua etiam satisfactio illius reddatur infinita. Probat hoc Eminentissimus exemplo ducto à moralibus. *Sic enim occisio hostis à plebejo milite facta præmiatur condignè alimentis ad vitam concessis, à Duce verò vel Marchione facta promeretur Regis gratiam, vel Præfecturam Provinciæ; à Principe verò facta meretur successionem in Regno, quia præmium operi æquale debet esse proportionatum cum eo, qui remunerandus est &c.* Apponi potest & exemplum Theologicum. Sic enim idem materialiter opus, neque gaudens ex se condignitate ad promerendam æternam Gloriam, evadit dignum hoc præmio, si accedat Gratia constituens operantem filium adoptivum DEI, ac proinde in hoc excitans fontem aquæ salientis in vitam æternam, ut ex Joan. 4. loquitur Tridentinum Sess. 6. c. 16.

CXXIII. Sed nec ista opinio undequaque placet. Assumo paritatem. Gratia sanctificans, quamvis infusa à DEO, non haurit infinitatem simpliciter dictam ex hoc Principio Gratiam producente. Ergo nec actiones Christi, quamvis attribuantur Personæ Verbi, haurient infinitatem simpliciter dictam ex hoc principio operante. Dabunt quidem Adversarij disparitatem in hoc positam, quòd Deus infundens Gratiam non habeat unionem moralem cum hoc effectu, cùm tamen Persona operans habeat talem unionem cum actionibus humanitatis Christi. Vera hæc esse, non abnuo, sed viam simul sternunt ad ita occurrendum. Unio physica & substantialis Personæ Verbi cum humanitate assumptâ non reddit hanc simpliciter infinitam. Ergo multò minùs unio moralis actionum Christi cum Personâ Verbi reddet illas simpliciter infinitas. Sentio, quid etiam contra hoc replicari posset, nempe dignitatem operantis esse formam vel quasi formam operis. Sed neque ista responsio omne feret punctum, si sola unio moralis illius formæ cum eo opere remaneat, ut jam declaratum, sicut Persona

sona infinita Verbi est habens ac possidens intimè humanitatem, nec tamen eam naturam denominat, ut simpliciter infinitam; vel si alijs adhuc clausulis tertia hæc opinio muniretur, jam transitus fieret ad concretum Satisfactionis ac Meriti intrinsecè & constitutivè importans dignitatem infinitam, quod ipsum docebimus in Sectione sequente, ergo &c.

CXXIV. Quarta opinio esse posset, Merita Christi fuisse valoris simpliciter infiniti propterea, quia Principium operans posuerat actus meritorios cum cognitione actuali reflectente se supra Dignitatem infinitam ejusdem Principij, & quasi dicens: *Ego non rapinam arbitratus, esse me æqualem DEO, humilio tamen memetipsum usque ad mortem Crucis.* Videtur reijcienda. Si enim per impossibile non præcederet talis cognitio reflexa, quærimus, an Satisfactio ac Merita Christi tamen essent simpliciter infinita, aut talia non essent? Si hoc secundum, contrà est, quia Gratia sanctificans, quantumvis reflexam sui cognitionem, vel etiam directam certitudinem justis ordinariè non ingenerat, nihilominus refundit valorem proportionatum in eorundem opera, ut quia justi sunt *filij per spiritum filiationis*, seu Gratiam *missam in corda ipsorum*, sint etiam *hæredes per Deum*, & non tam mereantur, quia cognoscentes DEUM, quàm *ut cogniti à Deo* ad Gal. 4. Ergo multò magis Filiatio, non tantùm adoptiva, sed naturalis, vel propria Christi, ut inferiùs per singularem Quæstionem discutiemus, idonea erit ad Satisfactionem & Merita Christi infinitate donanda sine adjumento ejusmodi cognitionis reflexæ. Si verò reponatur primum. Ergo jam alibi indagandus fons hujus Infinitatis, & quis ille, aut ubinam reperiendus? Profectò citra talem cognitionem, ut ex ipsa hypothesi Argumenti satìs elucet. Cæterùm hæc opinio consentire reipsa videtur cum primâ jam refutatâ, quæ nimirum Infinitatem depromit ex parte objecti, unde paribus fermè armis contra utramque militandum, qualia paravimus num. 120.

CXXV. Quinta opinio eò posset deflectere, quòd Merita Christi idcircò sint infinita, quia nullum possibile præmium exhaurire valet vim illorum meritoriam; vel quia non est excogitabile Meritum majus, quàm sit Theandricum; DEUS siquidem mereri non potest quoad Naturam Divinam; sistendo autem intra naturas creatas, nulla potest eniti ad meritum majus aut æquale illi, cujus Principium, ut quod, est Suppositum Divinum. Insigniter ista quidem afferuntur, sed nondum difficultatem omnem superant. Urgeo, Meritum supernaturale Justi nequit adæquari per quæcunque præmia purè naturalia, & tamen illud manet simpliciter finitum, Ergo replicari etiam posset Merita Christi, non obstante hac superioritate ad omne præmium possibile, nihilominus manere simpliciter finita, Reponi quidem ulteriùs posset,

disparem adhuc esse instantiam. Nam Meritum supernaturale Justi adhuc esset inferius alio Merito, nimirum, quod diximus, Theandrico, cùm tamen istud à nullo alio Merito excedatur vel adæquetur. Urgeo iterum. Etiam Unio hypostatica, Maternitas DEI, Visio beatifica, & gravis offensa DEI transcendunt omnia reliqua genera unionum, consanguinitatum, visionum, & offensarum, & tamen nondum evolant supra confinia relationum & actionum creatarum, cùm ubivis retrahat conjunctum limitans, item capacitas augmenti vel decrementi intra proprium genus. Ergo alicui in mentem venire posset, eodem modo excipere contra infinitatem simpliciter talem Meritorum Christi, eò quòd hæc crescere adhuc possint intra suam lineam, ac unum esse majus altero, quemadmodum Scotistæ in quarta Sectione refutandi contendunt. Vel si denique reponatur, virtutem efficaciter in actu primo inductivam omnis præmij possibilis arguere prædicatum aliquod simpliciter infinitum intra denominationem proportionalis Meriti relucens, edissere; quale illud sit, at simul etiam, quomodo illa Infinitas intra talem denominationem non restringatur ad solam superioritatem ordinis & infinitatem secundùm quid, atque negotium tibi integrè confectum gratulabimur. Superaddere hîc possemus & sextam opinionem, quæ infinitatem Meritorum Christi derivat ex unione morali, seu mediatâ physicâ actionum humanitatis Christi cum Persona Verbi, in quantum illa physicè erant unita Humanitati, quæ ipsa gaudebat unione immediata cum Verbo. Sed neque hanc unionem satisfacere præsenti tam arduæ infinitati, commonstravimus n. 123. Quare ad septimum tandem & nec illud statim pervium ostium nostri, quem appellavimus, Nili transeamus, quem primo aspectu metientibus non immeritò accinas cum Marone l. 6. Æneid.

Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

SECTIO III.

Verisimilior modus ejusdem Infinitatis.

CXXVI. PRæmitto sequentem Veritatem. Dignitas merentis est forma vel quasi forma operis meritorij habentis se per modum materiæ, ex quali forma & materia, ut per debitam unionem conjunctis, exsurgit totum seu denominatio Meriti, ac proportionaliter etiam Satisfactionis. Veritati huic suffragatur Angelicus non uno tantùm in loco. Sic enim 2. 2. q. 2. a. 9. in c. tradit, omnem actum informatum Gratiâ esse meritorium, atque in eâdem parte q. 83. a. 13. & 15. in c. item ibidem q. 114. a. 4. ad 3.

ad 3. asserit, nullum virtutis actum esse meritorium, nisi sit ita informatus. Accedit clara ratio. Nam cùm actus meritorius in genere dicatur ille, qui est retributione ac præmio dignus, equidem rationem formæ obtinebit ipsum determinativum actûs, ut hic evadat præmio dignus; forma autem hæc est ipsa dignitas, quemadmodum albedo est forma albi. Igitur & Dignitas Personalis in Christo habebit se per modum formæ respectu operationum Christi, hæ verò habebunt se per modum materiæ determinabilis ad accipiendam tam excellentem dignitatem. Verùm neque ista adhuc sufficient, nisi nobiscum addideris, ipsam hanc materiam & quasi formam, ut unitas inter se per eam unionem moralem, quam exposuimus n. 123. & 125. convenire in unum totum morale, quod jam non per solam ampliùs unionem, sed identicè contineat Dignitatem simpliciter infinitam Personæ Divinæ, quatenus nempe hæc est aliquod extremum, seu quasi pars illius compositi, vel terminus intrinsecus harum denominationum Satisfactio & Meritum Christi. Quæ cùm ita se habeant, expeditum jam est, verisimiliorem modum Infinitatis hucusque agitatæ evolvere, ac evolutam stabilire.

CXXVII. Dico. Satisfactio & Meritum Christi sunt simpliciter infinita. Probo. Illud totum est simpliciter infinitum, quod includit pro termino intrinseco formam vel quasi formam simpliciter infinitam, & simul in conjunctione cum altero extremo remanentem ita infinitam. Sed Satisfactio & Meritum Christi sunt totum includens pro termino intrinseco formam vel quasi formam simpliciter infinitam, & simul in conjunctione cum altero extremo remanentem ita infinitam. Ergo Satisfactio & Meritum Christi sunt totum simpliciter infinitum. Major deducitur ex confessione non obscurâ triplicis, quam ajebam, Scholæ. Nam Thomistica, quamvis aliàs nobiscum sentiat quoad Infinitatem Meritorum Christi simpliciter dictam, nihilominus præsenti nostræ Majori, ut dictis terminis illigatæ, consensura omnino apparet ex eo, quòd illa contendat, peccatum mortale esse gravitatis simpliciter infinitæ in ratione offensæ, quia principium formale gravitatis offensæ est ipsa Persona offensa, nimirum DEUS, ut loquitur Gonetus de Moral. Act. Disp. 9. a. 6. §. 4. Schola verò subtilis nec ipsa adversari poterit, utpote, quæ ex Dignitate Personæ Verbi refundit superioritatem Ordinis in Merita Christi, negat tamen Infinitatem simpliciter dictam propter supervenientem limitationem ejusdem Dignitatis &c. Unde, si hæc limitatio obicem non apposuerit, vel potiùs limitatio non accedat ejusdem Dignitatis, quod Major nostri Argumenti signatè adjungit, etiam ea Schola non refragabitur dictæ Præmissæ, sed magìs secundam Argumenti præmissam probationis indigam clamabit. Nostra denique Schola eidem Majori adhærere convincitur ex eo, quod con-

tra Thomistas constanter propugnet, Dignitatem Personæ offensæ non esse Principium formale peccati mortalis, vel saltem ibi limites poni derivando aliàs effectui formali, ut loquuntur, ab ipso Dictamine prævio ad peccatum, vel majore aut minore conatu libertatis, Divinam legem transgredientis; de quâ tamen doctrinâ licebit judicium ferre, ubi sequente Difficultate 7. evaserimus. Itaque & hæc Schola commune suffragium addicit, quòd nimirum Dignitas infinita, si fuerit principium quasi formale, & quidem illimitatum, Satisfactionis ac Meriti Christi, possit etiam ea reddere simpliciter infinita. Subsumo, Atqui, si quæstio moveatur circa denominationem & prædicata alicui toti attribuenda, vel deneganda, equidem cum pluribus oportet, ut sentiamus ac loquamur; atque hîc proinde vim suam exeret receptum illud Axioma: *Denominatio fit à potiori*. Potius autem nihil est in Satisfactione ac Merito Christi, quàm valor & vis meritoria. Quapropter si istud constitutivum totius remaneat simpliciter infinitum, non minùs illud totum eâ nomenclaturâ poterit insigniri.

CXXVIII. Probanda modò & secunda fundamentalis Syllogismi nostri Præmissa, cujus tamen prior pars jam constat ex n. 126. nimirum, quòd Gratia Personalis, seu Dignitas Verbi sit quasi forma Satisfactionis ac Meriti Christi, atque rursus confirmatur ex eo, quòd Gratia habitualis sit forma meriti purè humani; ibidem principium formale meriti consistat in vi meritoriâ, cujus ipsius efficacia præcipuè descendit ex Gratiâ gratum faciente, tanquam filiatione adoptivâ DEI, ut apertè statuit Angelicus 1. p. q. 95. a. 4. Igitur priore eâ parte tam ad rubricam S. Doctoris nostri, quàm rationis decempedam jam mensuratâ, superest, ut ostendamus pariter, illam quasi formam Satisfactionis & Meriti remanere etiam intra constitutionem hujus totius illimitatam. Clarissimus P. Gormaz Disp. 11. de Incarnat. sect. 1. & 2. id deducit ex triplici Instantiâ, nempe ipsius Christi, qui dicitur totum simpliciter infinitum, eò quòd compositum illud includat unum extremum infinitum, hoc est, Personam Verbi; præterea denominationis, quâ aliquis diceret: *complexum ex DEO & creaturis est simpliciter infinitum*, ac denique quia si Verbum assumpsisset naturam Angelicam loco humanæ, quam sibi defacto copulavit, sanè totum, quod tunc fuisset, nimirum DEUS-Angelus non fuisset magis infinitè perfectum, quàm modò sit totum, quod est ac dicitur DEUS-Homo. Bene quidem ista. Verùm quid si Scotista ad primam & tertiam paritatem reponeret, imparem esse casum, cùm Christus, item DEUS-Angelus ac DEUS-Homo importent in recto Suppositum Divinum, satisfactio autem & Meritum Christi importent in recto actionem creatam, quæ licèt non possit crescere ex ratione Principij, cui illa actio tribuitur, capax tamen sit hujus incrementi ex alijs capitibus, quæ

prose-

prosequemur in Sectione sequente? Quid si ad secundam Instantiam subdubitando hæreret, vel saltem illam sibi luculentiùs demonstrari cuperet?

CXXIX. Quare sic argumentor. Persona Divina, ac per consequens etiam Dignitas cum illa identificata non potest esse pars rigorosè talis ipsius totius, quod est ac dicitur Satisfactio & Meritum Christi. Ergo eadem Dignitas in conjunctione cum altero extremo intra idem totum manet illimitata. Antecedens constat, nam posse esse talem partem, est posse compleri, seu esse capax augmenti & decrementi quoad perfectionem intrinsecam. Consequentia verò ostenditur. Nam si limitaretur ea Dignitas, jam quando hæc desineret esse intra constitutionem Satisfactionis ac Meriti, rediret ad pristinam suam illimitatam perfectionem; vel quando conciperetur abstrahendo ab illâ constitutione, intelligeretur, ut positivè perfectior seipsâ, quorum utrumque Dignitatem illam sibi ipsi eriperet, reddendo eam ulteriùs perfectibilem, cùm tamen ob suam perfectionem omnis hujusmodi potentialitatis sit expers, ac impatiens.

CXXX. Confirmatur ex doctrinâ S. Thomæ 3. p. q. 3. a. 1. ad 2. ita loquentis: *Proprium est Divinæ Personæ propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concursus naturarum secundùm Subsistentiam &c.* Ergo Dignitas, de quâ disputamus, manet illimitata. Probatur Consequentia. Ideò Antecedens tenet, quia solius Divinæ Personæ proprium est, ita esse terminum intrinsecum alicujus totius substantialis, ut tamen propterea non existat in alio digniore se, sed continendo in se eminenter omnem perfectionem alterius extremi sibi intrinsecè conjuncti; & quidem eminentiâ immuni à quacunque mixturâ imperfectionis, fit quoddam velut totum totius. Atqui hæc ratio proportionaliter comprobat, quòd memorata Dignitas maneat illimitata; nam & ista continet tali eminentiâ omnem reliquam perfectionem, quæ relucet in Satisfactione & Merito ex libertate, prædicatis specificis ab objecto formali virtutum desumptis, vel intensione actûs meritorij creati, quem talis Dignitas velut informat, ergo &c. Plures Confirmationum sedes statuent, quæ statim per plura folia afferemus.

SECTIO IV.

Refelluntur Argumenta Scotistarum contra Infinitatem Meritorum Christi simpliciter dictam.

CXXXI. ELegimus præ reliquis Antagonistam Mastrium. Hic q. cit. a. 2. & 3. ita pugnat. Quantitas Satisfactionis & Meriti non oritur

 præ-

præcisè ex sola dignitate operantis, sed præterea ex alijs circumstantijs, puta, ex intensione operis, duratione, loco, objecto actionis, atque alijs capitibus, quæ cùm finita sint & limitata, limitationem quoque inducant in opus, necesse est, ita, ut illud ordinabile non sit ad omne præmium. Quando enim ad unum effectum, & præsertim moralem, plura concurrunt, licèt unum sit infinitum, si tamen alia finita sint, effectus non erit infinitus simpliciter, sed finitus, quia limitatur ab alijs principijs finitis. Ad hunc modum Mastrius, confirmans suam opinionem à simili. Pœna infinitè extensa quoad durationem, si ipsa tamen sit finita quoad intensionem, non appellatur simpliciter & absolutè infinita in genere pœnæ, sed tantùm secundùm quid & ex uno capite, nam ad eam simpliciter constituendam infinitam in genere pœnæ requiritur infinitas in extensione & intensione simul. Ita pariter, si corpus sit infinitè extensum quoad unam tantùm dimensionem, v. g. longitudinem, non appellatur illud simpliciter infinitũ in genere quantitatis, sed tantùm secundùm quid, id est, secundùm unâ tantùm dimensioné, Ergo proportionali modo discurrere convenit de Meritis Christi, ne scilicet, dum unâ manu ea nimiùm evehimus, alterâ manu destruamus, quæ ipsimet alibi molliti sumus.

CXXXII. Respondeo ad Argumentum multa complectens, negando causalem, quòd nempe Dignitas Infinita Verbi, atque constituens intrinsecè & per modum formæ totum morale Satisfactionis ac Meriti Christi limitetur à reliquis comprincipijs concurrentibus ad constitutionem ejusdem Satisfactionis ac Meriti. Ratio est, quia ea Dignitas secundùm se accepta jam continet formaliter aut eminenter, quidquid perfectionis reperitur in cæteris constitutivis, vel etiam, quidquid ijs deest. Quapropter hæc impedire non poterunt, ne eadem Dignitas communicet intrinsecè toti illi morali Infinitatem simpliciter dictam, hoc ipso, quòd remorari nequeant, quin explicata Dignitas sit quasi forma ejusdem totius, ergo &c.

CXXXIII. Ad primam & alteram Paritatem respondeo, negando Consequentiam. Disparitas est, quia sola infinitas pœnæ quoad extensionem non continet formaliter aut eminenter etiam intensionem infinitam ejusdem pœnæ; Item sola infinita extensio corporis quoad longitudinem non ita continet similem extensionem quoad latitudinem, profunditatem &c. Ex opposito Dignitas Satisfactionis & Meriti, qualis derivatur ex Personâ Divinâ, continet eminenter omnem perfectionem reliquorum, quæ ad constituendum simile totum concurrunt, etiamsi poneretur possibile Infinitum creatum categorematicum, quia in tali etiam Hypothesi, de cujus veritate aut falsitate hîc non discepto, relinqueretur creatura, atque hæc, ut componens totum illud, tanquam pars rigorosè accepta, ergo &c.

CXXXIV. Secundum Argumentum pro contrariâ Sententiâ sic construitur.

struitur. Juxta nos verum esset, omnia opera Christi esse æqualia, vel æquè meritoria, cùm unum infinitum non sit majus altero, ac eapropter Christum non plus fuisse meritum uno opere, quamvis excellentissimo in genere moris, quàm alio quovis inferiore in tali genere; imò nec plus promeritum esse omnibus suis operibus, quantumcunque multiplicatis, quàm uno opere singulari. Sequelæ sunt falsæ. Nam totum est majus suâ parte; præterea unum opus Christi fuit melius altero, sicut e. g. opus Charitatis eminebat opere Temperantiæ; ac præsertim, quia aliàs inferri posset, quòd Redemptio humani generis non plus adscribi deberet Passioni ac Morti Dominicæ, quàm cuivis alteri actioni à Christo positæ, quod refragatur claris Sacrarum Litterarum, & Sanctorum Patrum testimoniis, unanimiter in hoc concinentibus, quòd ultima Christi Merita etiam ingens illud nostræ Redemptionis negotium confecerint, ergo &c.

CXXXV. Respondeo, transitum in Objectione fieri ab ipso concreto Satisfactionis & Meriti, quod diximus simpliciter infinitum, ad aliquam partem illius, nempe actionem creatam, quæ à Dignitate infinitâ Verbi quasi informatur. Quare, licèt talis actio nondum reddatur simpliciter infinita, utpote non constituta intrinsecè ex eadem Dignitate, sed tantùm huic moraliter, aut mediatè physicè unita, quemadmodum notavimus n. 126. nihilominus concretum Satisfactionis & Meriti remanebit infinitum, utpote per identitatem constitutum ex eadem Dignitate juxta doctrinam eodem numero traditam. Declaratur per Instantias. Sic enim sola materia prima Peripatica non potest denominari rationalis, etiam quando unitur formæ humanæ, bene autem ipse homo, qui constituitur intrinsecè ex animâ rationali. Similiter, si quis consentiat P. Vasquez Tom. 1. in 1. 2. Disp. 39. c. 3. asserenti, quòd *libertas in ipso actu voluntatis elicito non sit aliquis modus absolutus realis intrinsecus actui, imò neque relatio ei intrinseca, sed extrinseca tantùm denominatio, quæ consurgit in actu invariato omnino ex solâ rationis attentione* &c. tunc actus meritorius specificativè acceptus nondum poterit denominari liber, bene verò ipsum Meritum, quod includit talem libertatem actui quidem extrinsecam, sed denominationi ipsius Meriti intrinsecam. Jam ad sequelas nobis oppositas sigillatim respondendo, equidem concedimus, omnia Merita Christi fuisse æqualia, ac æquè meritoria, simpliciter loquendo; item Christum non plus fuisse prometitum actu charitatis intensissimo, quàm actu temperantiæ moderantis victum, imò nec plus esse promeritum toto Meritorum suorum cumulo, quàm uno quopiam singulari, rursus simpliciter loquendo; qualis responsio adeò nec falsa, nec absona est, ut potiùs sponte promanet ex effato Clementis VI. l. cit. Hic enim, cùm eundem valorem adscribat & *gutta Sanguinis* Christi, ac

toti illius *profluvio*, id profectò in aliis Sententiis difficulter, in nostrâ verò clarè intelligi poterit, si nimirum dicatur, pretiosissimam illam Guttam tanto valore redundâsse, in quantum erat intra concretum Satisfactionis & Meriti Christi; quod ipsum Pontifex satis indicat, dum ibidem ait, *Merita Christi* fuisse *infinita*, ut latiùs expositum in Sect. 2.

CXXXVI. Ad Probationem Minoris, quæ denuò multa capita complectitur, respondeo inprimis, unum infinitum non fore majus altero, sed utrumque æquale, si in eâ consideratione accipiatur; nam prædicatum tribuens denominationem infiniti esset in omnibus Meritis non modò æquale, sed prorsus idem, nempe Dignitas infinita Personæ Divinæ; sicut, ex creatis similitudinem afferendo, si duo muri essent albi per eandem replicatam albedinem, unus murus non esset magis albus, quàm alter, nec ambo inter se inæqualiter dealbati. Urgebis, existimo. Ex hoc præterea sequitur, quòd si Meritis ex Dignitate Verbi æqualibus adderentur constitutiva eorundem Meritorum inæqualia, nimirùm quæ se tenent ex parte actionum creaturam Humanitatis; vel si, detractâ intentionaliter illâ Dignitate, relinquerentur inæqualia ex parte dictarum actionum, nihilominus ea Merita remanerent æqualia. Sequela verò & ista falsa est, utpote repugnans *communi* Sapientûm *notioni*, seu axiomati, scilicet, quòd *si inæqualibus æqualia adjecta sint, tota sint inæqualia*, & *si ab inæqualibus æqualia ablata sint, reliqua sint inæqualia* &c. Euclid. l. 1. Elem. Ergo &c.

CXXXVII. Respondeo ad hanc replicam, Dignitatem Verbi, tanquam constitutivum eminenter continens perfectionem reliquorum, quæ ut veræ partes, constituunt concretum Meriti, omnino esse æquale toti quoad infinitatem, cùm hanc illa Dignitas Personalis habeat per seipsam, atque eandem infinitatem communicet concreto identicè, seu quatenus memorata Dignitas ingreditur idem concretum, ut terminus intrinsecus. Unde addendo huic dignitati inæqualia intra idem concretum, Merita tamen simpliciter remanebunt æqualia, sistendo rursus in denominatione *Infiniti*. Jam tolle intentionaliter hanc Dignitatem, & quid mirum, reliqua superesse, ut inæqualia? Tunc siquidem remaneret solus valor actuum Charitatis & Temperantiæ, quà talium, & sub hac specificâ ratione utique inter se inæqualium, cùm *major horum sit Charitas* 1. Cor. 13. hoc est, Regina virtutum. En! quàm non peccemus contra prima Elementa Alexandrini illius Mathematici. Nam & juxta nos finitum additum alteri finito facit majus, atque alterutro detracto remanet minus, quinimmò si de infinito etiam creato ex hypothesi sermo sit, etiam illud non ita continebit eminenter alterum infinitum creatum, rursus ex hypothesi loquendo, ut complexum ex utroque non esset aliquid perfectius &c. Æquivocatio igitur videtur latere in

eo,

eo, quòd Merita Christi considerentur, quasi gauderent aliâ & aliâ formâ vel quasi formâ, ex quâ hauriant Infinitatem simpliciter dictam, cùm tamen in omnibus non modò sit æqualis, sed prorsus eadem, nempe repetita toties Dignitas Personæ Divinæ, ergo &c.

CXXXVIII. Ad ultimam sequelam n. 134. superadditam respondeo, etiam in nostris Principiis stare inconcussum, quòd Christus actu nos redemerit per suam potiùs Passionem ac Mortem, quàm per antecedentia Vitæ suæ opera, nempe hoc modo, ac eapropter, quia licèt priora etiam Merita æquè fuissent sufficientia, imò cum excessu Pretii, ad mille reos, si forent, Mundos redimendos, nihilominus placuit DEO Patri in pactum deducere, atque Christo, Servatori nostro Optimo, acceptare totum complexum Meritorum à primo instanti suæ Conceptionis usque ad ipsam Passionem ac Mortem inclusivè, ut sic Dilectio DEI erga homines, fœditas Peccati Mortalis, justa æstimatio Lytri pro nobis captivitate Dæmonis eximendis persoluti, atque vitæ mortalis inter adversa etiam constanter trahendæ norma eò magìs se nostris sensibus ac menti ingereret, tanquam inspicientibus Speculum hujus Pontificis *probati per omnia* Hebr. 7. & cujus *magna* erat, *velut mare*, *contritio* Thren. 2. Exinde, cùm Merita Christi fuerint quasi in viâ usque ad terminum Meritorum Passionis ac Mortis Dominicæ, ideò illis ritè ac inprimis adscribitur nostra Redemptio, tanquam hanc consummantibus ipsâ morte Testatoris delentis, *quod adversus nos erat Chirographum decreti*, *affigendo illud Cruci* ad Coloss. 2. id est, juxta interpretationem Theodoreti, & ex hoc Cornelii, *cassando illud & abolendo suâ Cruce & Morte*, ergo &c.

CXXXIX. Tertio Argumento sic impetimur. Absurdum est, quòd Christus plus potuerit mereri, quàm DEUS ipse valuerit remunerari. Sequela hæc sustinenda à nobis. At evitatur in Hypothesi Scotistarum asserentium solam Superioritatem Ordinis Meritorum Christi respectu cujuscunque Præmii possibilis. Igitur eadem Scotistarum hypothesis ab omnibus amplectenda. Respondeo, neque absurdi hujus nos meritò redargui, & si quod lateret, neque ab illo immunes fore Scotistas.

CXL. Probo priorem partem. Omnipotentia DEI est infinita in sua etiam lineâ, quamvis non possit producere infinitum creatum actu, quale, ut impossibile, hîc suppono. Ergo & Merita Christi erunt infinita, quamvis non possit illis correspondere Præmium infinitum actu. Probatur Consequentia & paritas. Ideò hoc verum est de Omnipotentiâ, quia hæc ex virtute simpliciter infinitâ extenditur ad producendos effectus non tot, quin plures, seu finitos in Infinitum. Sed proportionalis ratio ostendit, etiam Merita Christi ita esse infinita, quia & hæc includunt constitutivum aliquod simpliciter infinitum, respectu cujus

 nullum

nullum est possibile Præmium, quod adæquet vel excedat valorem eorundem Meritorum. Quapropter sicut Imperfectio non est, aut finitudinem invehit in Omnipotentiam, quòd hæc ponere non possit effectum infinitum actu, ita nec imperfectio erit, aut finitudinem invehet in Merita Christi, quòd his correspondere non possit Præmium infinitum actu; imò hæc potiùs conformitas est Præmii cum Merito, nam hoc proportionem habere non potest cum Præmio chimærico.

CXLI. Probo & alteram partem. Scotistæ ipsi tradunt, quòd Merita Christi gaudeant saltem propter circumstantiam Personæ congruitate ex naturâ rei, ac insuper, accedente Divinâ acceptatione, polleant etiam condignitate ad omne Præmium possibile, ita, ut eadem Merita non habeant ex hoc capite, seu circumstantiâ Personæ, unde limitentur. Jam sic decerto. Vel huic circumstantiæ Personæ correspondere potest Præmium penitus æquale, vel non? Quidquid dicatur, imminent iidem casses, qui nobis texuntur. Si enim secundum. Ergo jam Christus poterit ex aliquâ circumstantiâ mereri plus, quàm Deus valeat remunerari; item cùm Christus potuerit toties ac unico etiam actu ponere Meritum ex hac circumstantiâ ita congruum, DEUS non poterit simul & semel, ac unico actu repenso ponere totum Præmium, sed successivè & inadæquatè. Si verò primum. Ergo jam adæquari & exhauriri possunt Merita Christi, ac per consequens neque remanebunt ex hac circumstantiâ in ordine superiori ad omne Præmium, quod excogitari possit.

CXLII. Reponit laudatus Mastrius. Præmium correspondens Merito Christi quoad circumstantiam Personæ esse etiam supremum in ordine suo. Ita occurro. Vel hic ordo Præmij est æqualis penitus cum ordine Meriti, vel non? Neutrum potest dici. Si enim Primum. Ergo Meritum non est ordinis supremi, ac per consequens etiam superioris ad omne Præmium possibile, cùm tamen, assertore ipso Mastrio, etiam Unio hypostatica, inducta à Merito, foret ordinis inferioris. Si verò secundum. Ergo neque DEUS poterit remunerari Meritum ad æqualitatem; istud enim gauderet aliquâ circumstantiâ superiore ad omne Præmium. Quòd si tandem delabatur responsio ad impossibilitatem majoris Præmij. Bene. Sed etiam Præmium simpliciter infinitum non est possibile, & quemadmodum ordini Meritorum respondet ordo Præmij absolutè inferior, ita Merito simpliciter infinito respondebit infinitas Præmij non quidem simpliciter talis, sed quæ inter possibiles sit maxima &c. Jam sumus ergo in hoc puncto pares.

CXLIII. Quartum Argumentum ducitur à paritate cum denominatione peccati mortalis, quod juxta nos, etiam in ratione offensæ, dicitur tantùm ordinis superioris, & infinitum duntaxat secundùm quid, Et cur istud? subsumunt Scotistæ. Nimirum, quia

ea offensa, quamvis sit contra Personam Dignitatis infinitæ; nihilominus limitationem accipit ex aliis comprincipiis vel circumstantiis ad constitutionem talis peccati concurrentibus. Eodem igitur proportionaliter modo discurrendum circa superioritatem ordinis, & infinitatem Meritorum Christi, utpote quæ etiam ipsa limitationem non dissimilem involvunt. Verùm hæc tam ardua, nec levi pede superanda, Difficultas est, ut circumspectâ priùs illius contemplatione opus sit. Tentemus aleam.

DIFFICULTAS VII.

Examen Instantiæ ex ratione gravis Offensæ DEI contra Infinitatem Meritorum Christi deductæ.

SECTIO I.

Probatur ad Hominem, *Merita Christi non esse tantùm Ordinis superioris ob circumstantiam* Personæ.

CXLIV. PRomisimus n. 116. nos quarto loco acturos iterũ ac directè contra Scotistas, qui negando quidem Infinitatem Meritorum Christi simpliciter dictam, admittunt tamen ea esse superioris, imò supremi Ordinis ex circumstantia Personæ imbibitâ in Merito, vel ad hoc concurrente; atque talem circumstantiam docent non limitari ex ullo capite. Nam si alicubi limitaretur, tunc ejusmodi restrictio proveniret ex cognitione limitatâ itidem relucente in Merito, vel ad hoc præeunte. Sed exinde nullus limes ponitur, cùm etiam status Gratiæ sanctificantis, quamquam à Justo ignoratus, dignificet tamen hujus Merita. Argumentemur *ad Hominem*.

CXLV. Merita Christi sunt simpliciter Ordinis supremi. Ergo etiam simpliciter infinita. Probo Consequentiam. Ideò prius tenet, quia Dignitas infinita Verbi non limitatur ex circumstantia cognitionis, sed illa Dignitas, ut est in seipsa, constituit denominationem Meriti. Ergo etiam ideò tenebit Infinitas simpliciter dicta, quia eadem Dignitas, ut est in seipsa, constituit Meritum, illa verò, ut sic considerata, utique manet infinita. Vel si opponas, Merita Christi, non quidem ex circumstantia cognitionis, sed ex aliis circumstantiis concurrentibus

tibus ad eorum constitutionem limitari, scilicet ex objecto formali Virtutum, intensione &c. quales circumstantiæ sunt purè finitæ, mox ita Argumentum promoveo. Quamvis Merita Christi juxta Scotistas deprimantur ad ordinem inferiorem ex aliis circumstantiis, quæ sunt ordinis simpliciter humilioris; seu licèt habeant aliquid limitans ex alijs concurrentibus ad Meritum, nempe Libertate, Intensione, Extensione &c. nihilominus remanent ordinis simpliciter supremi propter circumstantiam Personæ. Ergo eadem Merita remanebunt simpliciter infinita, non obstantibus aliis circumstantiis Meriti, quæ simpliciter finita sunt.

CXLVI. Argumentor secundò. Tunc juxta Mastrium l. cit. posset attribui alicui causæ virtus simpliciter infinita, quando eidem causæ vel correspondere effectus æqualiter infinitus, sicut virtuti locomotivæ pondus simpliciter infinitum, aut actui Misericordiæ eleemosyna simpliciter infinita; vel saltem, quando hujusmodi effectus repugnat aliunde, si virtus præcontinens effectus tantùm syncategorematicè infinitos sit tamen ipsa Actus purus, ut contingit in Omnipotentia DEI extendente se ad effectus finitos in infinitum. Pergo, & ita subsumo. Atqui etiam Merita Christi, quamvis se non extendant ad Præmium infinitum actu, seu totum simul ponendum, continent tamen virtutem ad inducenda Præmia non tot, quin plura; atque ea Virtus est Actus purus, nec iste vitiatur per actionem elicitam ab Humanitate Christi. Ergo & Merita Christi continebunt virtutem simpliciter infinitam, atque ab hac nanciscentur denominationem talis infinitatis, quemadmodum juxtà Hypothesin Scotistarum extolluntur ab eadem Dignitate Personæ Verbi ad gradum supremum Ordinis.

CXLVII. Argumentor tertiò, & denuò *ad Hominem*. Illud est simpliciter infinitum, quod neque potest crescere aut minui ex suo genere, vel intra suum genus. Sed Merita Christi nec possunt crescere aut minui ex suo genere, vel intra suum genus. Ergo sunt simpliciter infinita. Minor quoad priorem partem constat. Nequit enim excogitari majus simpliciter Meritum, quàm cujus constitutivum & quasi forma sit ipsa Dignitas infinita, ac proinde continens formaliter vel eminenter, quidquid perfectionis relucet in alijs comprincipijs intrinsecis creatis eorundem Meritorum, ut gaudentium e.g. certa intensione ac extensione, quantumvis hæ possent crescere in infinitum, ut disseruimus n. 133. ergo &c. Ostenditur itaque eadem Minor quoad alteram partem. Inferioritas ordinis, quamquam aliàs derivanda in Merita Christi ex alijs circumstantijs distinctis à Persona Verbi, nihilominus quasi absorbetur ab hac Persona, ita, ut dicta Merita remaneant simpliciter ordinis supremi. Ergo etiam finitudo ex alijs constitutivis Meritorum proveniens absorbebitur ab eadem Persona, ita, ut

dicta

dicta Merita remaneant simpliciter infinita. Subsumo rursus. Atqui Merita constituta intrinsecè ex tali Termino intrinseco, quod neque recipere possit accessum in sua perfectione, vel in hac pati decrementum, etiam ipsa non possunt crescere intra suum genus, ergo Merita Christi neque possunt crescere intra suum genus. Probatur Minor sublumpta. Dato enim hoc Termino intrinseco, qui idem ipse ingreditur, & quidem per identitatem, totum morale non magìs unius, quàm alterius Meriti Christi, jam nec tale unum Meritum erit majus altero, simpliciter loquendo, quod tamen ad incrementum intra certum genus requiritur, ergo &c.

CXLVIII. Objectiones, quæ hîc possent recurrere, occupatæ jam sunt in Sectione ultima præcedentis Difficultatis. Ne tamen Dialecticus fortè scrupulus gressum præpediat ex eo, quòd *Denominatio desumi debeat à parte debiliori*, qualis intra concretum Meriti est libertas creata, differentia objectorum formalium, intensio &c. sicut illud Axioma tenet in Conclusione ex Præmissis deductâ, respondeo inprimis per retorsionem tam physicam, quàm moralem. Sic enim homo dicitur rationalis ab ipsâ animâ, quamvis pars debilior, nempe ignobilis secundùm se materia, non sit Discursiva; item Victor dicitur exercitus ab Archistratego, & hujus phalange hosti prædeterminante, licèt debilior pars, nempe milites fugitivi, aut succumbentes hosti, tale epinicion non mererentur. Oppono vicissim & aliud Axioma, nempe *denominationem faciendam à potiori*, cujus effati meminimus n. 127. Si enim ejusdem Dialecticæ Magistros consulamus, tradunt illi, hoc posterius Axioma ferme ubivis tenere, ubi non obstat illud alterum Axioma. *Bonum ex integra causa*, ac propterea concludunt, hominem non posse dici spiritualem &c. Infero. Sed in præsenti non obstat hoc alterum Axioma, cùm Dignitas Verbi sit velut totum totius, ac per consequens integram, de qua agimus, Infinitatis quasi causam relinquens, ut pluribus dictum n. 130. Instantiæ de Conclusione Syllogismi non immoror, cùm ea & Adversarijs solvenda in alijs Instantijs, quas hîc objecimus. Dicent, quorum forum subitur, effectum non posse esse suâ causâ, nempe præmissis, præstantiorem. &c. Sed ad graviora transeundum.

SECTIO II.

Asseritur sola superioritas Ordinis in gravi Offensa Dei.

CXLIX. AD quæstionem rei à multiplici quæstione nominis in hac implexâ controversiâ secernendam, sit prima Conclusio. Peccatum

tum mortale est in ordine superiore ad omne obsequium puræ creaturæ. Probatur inprimis Authoritate. Illud est respectivè in tali ordine, quòd apud Divinum Tribunal est aliquid grave, & alterum appretiativè leve, si cum priore comparetur. Atqui Peccatum mortale est ita grave, & alterum dicto modo appretiativè leve. Ergo Peccatum mortale est in ordine superiore ad omne obsequium puræ creaturæ. Major est notio terminorum, vel si quid aliud requireretur, confutabitur in decursu hujus Sectionis. Minor verò probatur ex altissimis illis querelis, quibus, velut horrendo tonitruum fragore, insonant sacra Eloquia. Sic enim Deuteron. 32. ait Maximus DEUS: *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei*, & quænam illa? *Generatio prava, atque perversa! Haccine reddis Domino popule stulte, & insipiens? nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Item Is. 1. *Audite Cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*; atque Jerem. 2. *Obstupescite Cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ & foderunt sibi cisternas.* Harum verò adeò penetrantium Expostulationum series intentari meritò potest cuivis peccatori, qui per lethalem noxam avertitur à DEO, & convertitur ad creaturam, ac ita graviter contemnit Divinam Majestatem propter bonum utile vel delectabile illi præhabitum, ut rursus conqueritur DEUS noster Ezech. 13. *Violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis.* Num verò eædem Sacræ Litteræ proportionali panegyricâ exornant obsequium puræ creaturæ, sicut invectivâ oratione persequuntur grave illius Peccatum? Nequaquam. Percipe. *Si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Job 35. Item: *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te Orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes*, Sap. 11. atque universaliter illud jam superiùs relatum n. 95. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite quia servi inutiles sumus.* Luc. 17. supra quæ verba sic commentatur D. Bernardus: *Honorat veritatem, qui & se, & sua omnia in eo statu, quo veritas habet, & agnoscit veraciter, & humiliter confitetur. Audi à te judicium exigi post justitiam. Cùm feceritis, inquit, omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Hæc planè quoad hominem est digna sedis præparatio Domino Majestatis, ut & justitiæ mandata studeat observare, & super indignum sese, & inutilem arbitretur.* Subsumo. Atqui ex his ac similibus testimonijs colligitur, Peccatum mortale esse aliquid grave penes Tribunal DEI illud reprobantis, at quodcunque obse-

obsequium puræ creaturæ esse aliquid leve penes Tribunal DEI, ut illud obsequium respectivè appretiantis, ergo &c.

CL. Accedit insuper, communis quidem, at solida ratio. Iidem tituli, qui tribuunt tantum pondus Offensæ gravi, reddunt ex opposito leve quodvis tale obsequium, nempe vilitas personæ peccantis, & magnitudo DEI offensi ex priore parte, & ex alterâ vilitas personæ obsequentis, ac magnitudo DEI, cui exhibetur obsequium. Veritas ista, vel solo naturæ lumine facem præferente, detecta jam fuit ipsi Philosopho, ubi docuit 5. Eth. c. 5. *Si is, qui Magistratum gerit, alium percutit, repercutiendus non est; at si quispiam eum percusserit, non solùm repercutiendus est, verùm etiam supplicio afficiendus*, ubi ex diversâ proportione tam offendentis, quàm satisfacientis cum offenso diversa etiam indicatur esse gravitas tam offensæ, quàm satisfactionis, ut subjungit noster Adam. Tanner. Disp. 1. de Incarnat. Q. 2. dub. 2. Similiter si inops subditus donaret Regi denarium, hic quidem æstimaret oblatum munus secundùm valorem ei intrinsecum, at simul leve illud judicaret respectu opum, quibus amplissimis coronatum illud Caput circumfluit; & quamvis, sistendo intra creaturas, denique finitum multiplicatum eluctari posset ad lineam superiorem alterius finiti, respectu tamen Dignitatis Divinæ, quibuscunque demum agglomeratis obsequijs pura natura illam prosequatur, semper applicari poterit illud Is. 30. *Nomen Domini*, vel ut vertunt, Majestas DEI, *de longinquo*, imò infinitè adhuc elongata à quibuscunque hujusmodi obsequijs. Ergo gravis Offensa DEI est in ordine Superiore ad quodvis obsequium à purâ creaturâ DEO exhibitum.

CLI. Conclusio secunda. Unum peccatum grave potest esse, ac est majus altero tali peccato. Ita Christus ipse ad Pilatum Joan. 16. *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet; & tamen*, subjungit Angelicus 1. 2. q. 73. a. 2. in arg. Sed contra. *constat, quòd Pilatus aliquod peccatum habuit*, ac deinde infert: *Ergo unum peccatum est majus alio.* Ubi ne videatur S. Thomas loqui tantùm de peccato mortali, ut considerato sub alijs prædicatis, non autem sub ratione Offensæ DEI, en! quomodo Aquinas mentem suam etiam in hoc puncto aperiat in 4. Dist. 17. q. 2. a. 3. q. 3. ad 2. *Qui dolet de hoc, quòd DEUM offendat de diversis, implicitè dolet diversimodè, secundùm quòd plus vel minus per ea DEUM offendit.* Item Q. 2. de Malo a. 9. ad 11. tradit sequentia: *Dicendum, quòd omnibus peccatis mortalibus oportuit subveniri per Mortem Christi, propter gravitatem, quam habent ex contemptu Boni infiniti; sed tamen nihil prohibet, quin per unum peccatum magis contemnatur DEUS, quàm per aliud.* Novi excepturos contra hunc ultimum textum Adversarios, cùm S. Doctor meminerit *Boni infiniti*, quod opponitur peccato, ut ajunt, non quatenus est

Offensa DEI, sed in quantum est *Malitia mortalis*. Verùm huic Replicæ propediem occurremus. Interim ipsi termini videntur abundè eloqui, quòd Hæresis Formalis sit majus peccatum, quàm simplex ebrietas; item crimen ex plenâ malitiâ, quàm fragilitate commissum, ergo &c.

CLII. Probatur Conclusio etiam ratione, quanta sufficit, ut Instantiam in Titulo præsentis Difficultatis propositam dissolvamus. Vel unum peccatum grave non posset esse majus altero, ut consideratum in ratione Offensæ DEI, quia condignè nequit compensari per ullam Satisfactionem purè creatam, sed fateri necesse sit cum Davide Ps. 48. *Frater non redimit, redimet Homo*, quod *Hominis* nomen Didymus, Hesychius, Ambrosius, Paulinus singulari quodam modo usurpant de Christo apud Lorinum in Ps. cit. atque huc etiam reducunt illud Isaiæ 19. *Mittet eis Hominem, qui salvabit eos*. Vel quia unaquæque gravis Offensa DEI superat omnem Offensam cuivis creaturæ præcellenti irrogatam; vel denique quia pro Formâ, vel quasi Formâ importat ipsam Dignitatem infinitam Personæ offensæ, ut aggravantem illud Peccatum, sicut Meritum Christi importat eandem Dignitatem infinitam Merentis, ut extollentem idem Meritum? Nihil istorum vel in Principijs Thomistarum reponi potest, ergo &c. Major enumerat præcipua capita, ex quibus controversa æqualitas omnium Peccatorum lethalium desumi posset; vel saltem iis debellatis haud difficilis remanebit de cæteris levioribus victoria. Probatur itaque Minor quoad singula membra. Inprimis, licèt pro Offensâ illâ nequeat satisfieri, nisi per Satisfactionem infinitam, nihilominus hæc Satisfactio ita posita fuit à Christo, ut simul esset superabundans, seu major ipso debito peccati; quemadmodum licèt sola Causa prima infinita possit annihilare Materiam Aristotelicam; imò quamvis sine eadem Causa, ut immediatè concurrente, non possit produci vel minima atomus, ut diximus n. 85. non tamen proinde aut illud Subjectum primum, vel hic pulvisculus excludunt capacitatem crescendi intra suum genus; nempe, quia Causa Prima ita hæc entia annihilat, vel producit, ut tamen Virtus ejusdem Causæ non propterea exhauriatur, vel ita totam se impendat, ut nec entitativè majus, neque minus supra vel intra proportionale genus præstare possit. Alterum membrum Minoris denuò repellitur in communibus omni Scholæ Principijs. Præmittamus, quod ait S. Augustinus L. de duabus Animabus contra Manichæos c. 4. *Si fortè turbati à me quærerent, num etiam muscæ animam huic luci præstare censerem, responderem, etiam: nec me terreret musca, quòd parva est, sed quòd viva, firmaret. Quæritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat, quid currentis pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret?* quod,

quod, qualecunque est, bene consideranˀtibus, in tam parvo tam magnum emiˀnet, ut cuivis fulgori præstringenti ocuˀlos præferatur. Hoc animadverso ita argumentũ promovem⁹. Quælibet musca excedit infinita Genera ac Species entium vitâ carentium, quæ produci possent, atque Soles & cætera Sidera, quæ in Universis non tot, quin pluribus etiam ipsa innumera accendi possent, & quis propterea muscas inter infinita simpliciter talia annumeret? Non annumeramus, utiq; reponunt, quia scilicet musca, quantumvis superior ad creaturas inanimatas, superatur tamen etiã ipsa in perfectione ab alijs entib⁹ animâ & mente præditis. Intelligo. Sed dum ad hanc responsionem fit transitus, simus jam deseritur campus, in quo modò pugnamus; contentio siquidem est, an gravis Offensa DEI ascendat ad Infinitatem simpliciter dictam propterea, quia ipsa hæc Offensa DEI habet infra se possibiles non tot, quin plures offensas puræ creaturæ impactas.

CLIII. Sed neque alterum hoc certamen recusamus. Placeat priùs audire, quomodo Gonetus in Tract. de Angelis Disput. Proœm. demonstret ratione naturali existentiam Angelorum. *Ad Universi*, inquit, *perfectionem requiritur, ut omnes gradus essendi contineat, alioquin non posset dici Universum simpliciter, quod ex propriâ ratione, ut nomen ipsum indicat, postulat universitatem quandam creaturarum, producibilium à DEO, saltem secundùm gradus communes. At si in eo non darentur substantiæ purè intellectuales, gradus omnium perfectissimus, scilicet intellectivus, Universo deficeret. Ergo Universi perfectio postulat, ut in eo substantiæ puræ intellectuales existant.* Jam ita argumentor. Vel quilibet Angelus est substantia simpliciter infinita vel non? Neutrum potest dici. Non primum, ut evidens est. Sed neque secundum. Nam etiam quilibet Angelus habet infra se omnes alias creaturas possibiles, quæ substantiæ purè intellectuales non sint; quamvis verò Angelus habeat supra se alios perfectiores vel existentes, vel saltem possibiles, ut contingit in supremo Angelo, nihilominus neuter ab ijs vel existentibus vel possibilibus superatur *secundùm gradum communem substantiæ purè intellectualis.* Ergo si peccatum mortale idcirco est infinitum simpliciter, quia cum omnibus alijs hujusmodi peccatis convenit in ratione gravis Offensæ DEI, neque in hoc prædicato, quà tali, exceditur à reliquis, etiam quilibet Angelus propter communem gradum substantiæ purè intellectualis manebit simpliciter infinitus. Vel si hoc etiam ita se habente, adhuc relinquitur Finitudo Angeli, quia nimirum intra genus substantiæ purè intellectualis potest adhuc dari alius entitativè perfectior, similiter reponimus, quòd licèt ex genere non detur major offensa, quàm adversus DEUM commissa, superest tamen ejusdem offensæ Finitudo simpliciter dicta, quia intra genus talis offensæ potest una esse major alterâ.

CLIV. Tandem, si pro Formâ, vel quasi Formâ gravis Offensæ DEI statuatur ipsa Dignitas infinita, porrò sic insistimus. Peccatum veniale est etiam aliqua Offensa DEI, & tamen non redditur simpliciter infinita. Ergo quantumvis Peccatum mortale sit Offensa DEI, non evadet simpliciter infinita. Antecedens desumitur ex c. 3. Jacobi, ubi hæc leguntur: *In multis offendimus omnes*, quæ verba Interpretes exponunt maximè de venialibus, atque huc applicant illud Ecclesiastæ c. 7. *Non est homo justus in terrâ, qui faciat bonum & non peccet*, atque alterum Proverb. 24. *Septies enim cadet justus & resurget*. Præterea in hoc quoque peccato veniali aliquem contemptum DEI includi, docet S. Hieronymus ep. 14. ad Celant. ita loquens: *Nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur; éstque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum est, quàm illum, qui jusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat quantitatem*; ac rursus in Reg. Monach. l. de Obed. *Non leve est, DEUM in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, quantum ad persona contemptum. Propter quod non solùm intendendum est, quale sit quod jubetur, sed etiam quantus sit ille, qui jubet.* Opportunè ad præsentem litem. Ergo Peccatum veniale est etiam aliqua offensa DEI, & tamen non proinde redditur simpliciter infinita. Probanda jam prior Consequentia, nempe quòd ex hoc legitimè inferatur, neque Peccatum mortale, quamvis sit Offensa DEI, evadere simpliciter infinitum. Si foret disparitas, tunc vel esset illa, quòd veniale tantùm sit contra DEUM, ut Legislatorem, non autem contra illum, ut finem ultimum; ut ait Joan. à S. Thomâ Disp. 1. de Incarn. a. 4. vel ut forsitan responderi posset, quia veniale hoc ipso, quòd sit aliquid leve, importet quoque incapacitatem Infinitatis simpliciter dictæ. Neutra disparitas satisfacit. Non prima, quia offensa Legislatoris, in hujus ipsius conspectu facta, nequit immunis esse à contemptu ejusdem, cur igitur Persona hæc contempta non aggravat hanc offensam, quanta, quanta illa Persona est, nempe infinita infinitè? Sed nec secunda. Nam veniale capax est, ut sit aliqua offensa Personæ infinitæ, & cur non etiam capax sit infinitudinis in ratione offensæ propter ipsum Objectum infinitum, quod offenditur, & ut offensum evaderet quasi forma talis offensæ? Repetes, offensam illam incapacem esse infinitatis simpliciter dictæ, quia offensa levis est. Igitur & nos repetimus, offensam etiam gravem non esse capacem controversæ infinitatis, quia offensa quidem gravis est, sed non gravissima tali modo, ut intra genus hujus offensæ non sit possibilis alia major. Objectio igitur redibit ad caput, unde exordiendum erat.

SECTIO

SECTIO III.

Colligitur, non procedere vel illam illationem Scotistarum: Peccatum non est simpliciter infinitum. Ergo nec Meritum Christi; *vel hanc Thomistarum*: Meritum Christi est simpliciter infinitum. Ergo & Peccatum in ratione Offensæ DEI.

CLV. MAstrius opponit etiam nobis, ut jam præmisimus n. 143. Instantiam de Peccato mortali, quod dicimus esse duntaxat infinitum secundùm quid. Et quare igitur Meritum Christi asseratur simpliciter infinitum, ac non pariter infinitum tantummodo secundùm quid, licèt adhuc superioris Ordinis ad idem Peccatum? Probo, hanc illationem non procedere. Ordo Peccati sumitur ex Offensâ DEI, ut habentis se solùm extrinsecè & tanquam objectum ejusdem offensæ. Econtra Ordo Meriti Christi sumitur ex Dignitate Divinâ, ut habente se intrinsecè & quasi forma constituente ipsum concretum Meriti. Ergo quamvis prior ordo sit tantùm infinitus secundùm quid, alter ordo, seu potiùs concretum dicti Meriti erit simpliciter infinitum. Antecedens quoad priorem partem elucet tum ex eo, quia unum peccatum dicitur majus altero, testante ipsâ Incarnatâ Sapientiâ, ut retulimus n. 151. tum quia argumenta pro Infinitate simpliciter dictâ ipsius Peccati mortalis solvenda sunt ipsis Adversarijs, ut in Sectione præcedente manifestum facere conati sumus. E contrario quoad Merita Christi non dicitur unum majus altero, sed omnia appellantur infinita absque appendice restringente, sive contineant *guttam*, sive *profluvium Divini Sanguinis*, ut ostensum est n. 116. ubi hanc veritatem evincimus, ex Authoritate Clementis VI. nec præterea obstat ullum inconveniens, quin tam gloriosè de Meritis Christi sentiamus, ergo &c. Altera verò pars ejusdem Antecedentis abundè, ut opinamur, commonstrata est per totam Difficultatem VI. Ergo non procedit illa Illatio Scotistarum.

CLVI. Probo, nec magìs procedere alteram illationem Thomistarum. Infinitas Meritorum Christi deducitur ex aliquo constitutivo intrinseco ipsius Meriti, nempe Dignitate Personæ merentis, quæ per identitatem includitur intra ipsum concretum hujus Meriti. Ex adverso Infinitas gra-

vis Offensæ DEI deducitur tantùm ex objecto, nempe ex eadem quidem Dignitate Personæ offensæ, sed quæ per unionem tantùm extrinsecam, ut vocatur, terminat talem offensam. Ergo quamvis Meritum Christi sit simpliciter infinitum, non ita infinitum erit peccatum mortale, etiam in ratione Offensæ DEI. Antecedens quoad priorem partem rursus tam hastâ, quàm clypeo, ut loquimur, propugnatum est in præcedente, ac istâ Quæstione; quoad alteram verò partem probatur ex eo, quia Argumenta pro Infinitate simpliciter tali ipsius Peccati evincerent nimiùm, vel ut hoc avertatur, robur amitterent pro sustinendâ memoratâ Infinitate, ac insuper ob sequentem rationem. Superioritas hujus Peccati etiam in ratione Offensæ, quam illud habet supra omne obsequium puræ creaturæ, item supra omnem aliam offensam, quæ DEO non irrogetur, salvari & explicari potest absque illa Infinitate. Ergo debet ita salvari & explicari. Antecedens probatur. Nam superioritas altera, seu supra omnem aliam offensam provenit ex Objecto Divino, quod offenditur, prior verò Superioritas ortum trahit ex ipsâ tendentiâ aversivâ peccati à DEO, qualis tendentia est plus mala, quàm tendentia quæcunque prosecutiva DEI sit bona, ut patefecimus in 2. Sectione hujus Difficultatis. Consequentia verò probatur ex hoc, quòd Prædicatum adeò ponderosum, quale est Infinitas simpliciter dicta, haud debeat attribui enti creato, ubi neque Authoritas, neque gravis ratio id persuadet, ac multò minùs si ea, quæ afferuntur, Argumenta ipsos suos Authores infestent, sicut quoad præsens contingere existimamus, cùm tamen pro tali Infinitate Meritorum Christi tam Authoritas, quàm ratio à nobis sedulò ponderata decertet, neque adversias sultus stationem cogant deserere.

CLVII. Satis cum Scotistis pugnatum in hac & priore Difficultate, nunc unum duntaxat specimen demus ex Authoritate, & alterum ex ratione, illarum Objectionum, quas Thomistæ opponunt. Prius ita habet. Angelicus 1. 2. q. 73. a. 9. in c. inquit: *Persona, in quam peccatur, est quodammodo objectum peccati.* Ergo non est purum objectum, sed simul etiam forma aggravans peccatum. Ita ex oppositæ hîc Scholæ Primipilis Joan. à S. Thomâ, D. 1. de Incarnat. a. 2. Respondeo inprimis per retorsionem. Angelicus similiter dicit in 3. Sent. Dist. 20. q. 1. a. 2. q. 4. in c. quòd peccatum habeat *infinitatem quandam*, & quod bene considerandum, tribuit ibidem peccato talem infinitatem non modò *ex infinitate Majestatis Divinæ, sed etiam ex Bono, quod per peccatum aufertur.* Ergo infinitas ita restricta non erit simpliciter talis, vel saltem non minor infinitas refundetur in peccatum quoad rationem malitiæ, quàm rationem offensæ, qualem tamen infinitatem sub utroque eo respectu neque Adversarij agnoscunt. Directè Respondeo, S. Thomam ibi agere de personâ alio

modo

modo conſideratâ, ſeu quatenus illa implicitè vel indirectè à peccato attingitur, ſicut conſtat ex ſequentibus verbis: *Tantò magis aliquis homo conjungitur DEO, quantò eſt ſacratior; & ideò injuria tali perſonæ illata magis redundat in DEUM, ſecundùm illud Zach. 2. Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei. Unde peccatum fit gravius ex hoc, quòd peccatur in perſonam magis DEO conjunctam vel ratione virtutis vel ratione officij &c.* Hoc autem toto non obſtante remanet, quòd Peccatum mortale aggravetur directè à Majeſtate Divinâ, ut objecto illius peccati, & in quam hoc tendit per tendentiam averſivam, ex quo duplici capite ea ſuperioritas enaſcitur, cujus probationem dedimus n. antecedente, ergo &c.

CLVIII. Addamus & illam magis ſpecioſam differentiam, quam citatus Author tradit *inter virtutes attingentes DEUM in ſe, & peccatum dehonorans DEUM in ſe. Nam Virtutes, quæ tendunt in DEUM, etſi attingant bonitatem ejus, aut intelligibilitatem, vel etiam infinitatem, ut in DEO eſt, ut tamen ſe accommodat finitæ capacitati & modo creaturæ, & non ut in omni ſuâ infinitate aſſequibilis eſt, aut ad infinita participabilis. Cæterùm peccatum, cùm non tendat in DEUM, ſed deſerat, & contemnat illum, non deſerit ipſum, prout ſe accommodat capacitati iſtius creaturæ aut illius; ſed abſolutè totam Majeſtatem DEI poſtponit creaturæ & ita diſſerendo attingit infinitatem ejus.* Ergo peccatum mortale erit ſimpliciter infinitum. Reſpondeo rurſus, ex hac differentiâ ſequi, peccatum etiam eſſe ſimpliciter infinitum in ratione malitiæ, cùm ſimiliter illud ita deſerat ac poſtponat totam amabilitatem DEI alicui creaturæ. Directè Nego Conſequentiam. Ratio eſt, quia cum hoc tamen conſiſtit, quòd unus receſſus & contemptus Objecti in ſe infiniti poſſit eſſe major ac gravior intra ſuum genus, ſicut proportionaliter unus acceſſus & proſecutio DEI per actus Virtutum poteſt eſſe major ac entitativè perfectior. Obſignemus Quæſtionem ipsâ denuò Authoritate S. Thomæ. Hic in 4. Diſt. 17. q. 1. a. 3. q. 3. in c. ſic concludit: *Dicendum, quòd ſicut meritum præcipuè conſiſtit penes charitatem, ita demeritum præcipuè conſiſtit penes contemptum DEI: unde ſecundùm quod aliquis DEUM per actum peccati magis contemnit, ſecundùm hoc majorem reatum incurrit; & ideò illa peccata, quæ in actuali contemptu conſiſtunt, ſunt graviora illis, quibus non eſt contemptus, niſi ex conſequenti, & quaſi interpretatus.* An quid magis accommodatum ad retundendam præſentem Objectionem venire poſſet?

DIFFICULTAS VIII.

Radix Infinitatis Meritorum Christi.

SECTIO I.

An talem radicem constituat Personalitas Verbi, ut distincta virtualiter à Naturâ Divinâ?

CLIX. NE Propugnatores meos diversis, quàm haustis aliunde, Principijs alligem, tantùm supponenda sunt duo, ac inferendum tertium. Primum, quod suppono, traditur contra Thomistas & Scotistas ab omnibus unanimiter Societatis nostræ Doctoribus, exceptis quatuor, Bellarmino, Molina, Becano, & Sfortiâ Pallavicino, ut testis est A. R. P. Thyrsus Gonzalez Tom. 2. Theol. Schol. Disp. 12. nempe Relationes Divinas, etiam, ut ab Essentiâ distinctas, seu quoad conceptum Relativum importare Perfectionem, atque hanc vel simpliciter simplicem, aut quod verisimilius apparet, Perfectionem simpliciter, ac depuratam ab omni imperfectione, ut loquuntur. Insinuemus vel unam aut alteram hujus Asserti rationem, ac præsertim eas, quæ Mysterium Incarnationis propiùs attingunt. Prima. Ecclesia canit Festo SS. Trinitatis: *In Personis Proprietas, & in Majestate adoretur æqualitas.* Subsumo. Atqui honor, qui præcipuè defertur per adorationem, dicit *reverentiam alicui exhibitã propter sui excellentiam*, ut docet Angelicus 2. 2. q. 84. a. 1. ad 1. & rursus 3. p. q. 25. a. 5. Ergo Proprietates Personales sunt adorandæ, atque adeò, ut excellentes, & per consequens, si terminis ritè utamur, perfectæ; quò respexisse etiam videtur Sexta Synodus Act. 11. ubi dixit: *Sicut Subsistentias tres exorare didicimus; ita & tres glorificare Personas instruimur.* Secunda. Favet directè S. Thomas Opusc. 1. contra errores Græcorum c. 2. hîc enim commentando in illud effatum Basilij Magni: *Spiritus S. est secundus à Filio dignitate*, deinde sic loquitur: *Potest autem hoc exponi non de dignitate naturali, sed de personali, sicut & secundùm nos dicitur, quòd Persona est hypostasis proprietate distinctâ ad dignitatem pertinente.* Quis verò has dignitates personales, quæ superaddunt Divinæ Essentiæ tres Subsistentias incommunicabiles, jure separet à Perfectione? Tertia. Persona Filij, ut producta, non est Essentia, cùm hæc non generetur; neque etiam est possibilitas tantùm extrinseca, vel mera non

repugnantia, aut purum nihil. Ergo est actualitas quædam realis, atque adeò ens existens; Bonitas verò, quæ utique dicit perfectionem, est passio, vel quasi passio omnis talis entis realis, sicut & Veritas. Quarta. Exigentia conjunctionis cum Essentia Divina per Visionem & Amorem beatificum est tam sublimis Perfectio, ut ea reperiri non possit in ullâ Substantia creatâ vel jam productâ, vel adhuc producibili juxta dicta n. 96. Ergo non erit Prædicatum medium inter perfectionem ac imperfectionem ipsa exigentia identitatis cum Divinâ Essentiâ, qualis exigentia relucet etiam in qualibet Relatione, cùm hæc præscindi quidem possit ab Essentiâ Divinâ, non tamen ab ordine ad hanc Essentiam, quam Relatio illa incommunicabiliter terminet. Quinta. Evangelista recenset, tempore Baptismi ac Transfigurationis Christi auditas has cælestes voces: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* Matth. 3. & *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 17. Ergo cùm *Filius* in recto importet *Relationem*, etiam hæc afferet perfectionem, ratione cujus delectet ac diligatur Filius, atque hic gaudeat se productum à tanto Patre. Equidem sic meliùs sentimus de Fœcunditate DEI ad intra, si teneamus, DEUM produxisse ad intra non aliquid purè neutrum, nec ratione sui æstimabile. Sexta. Videtur ex se constare, quòd sint amabilitates etiam ratione sui hæc Prædicata, nempe esse *Principium Filij ac Spiritûs Sancti*, quod convenit Patri non præsupponenti aliud sui Principium; vel esse *Verbum ac Imaginem intentionalem Patris*, quod convenit Filio continenti virtutem spirandi cum Patre tertiam Personam; aut esse *Actualitatem constitutivam & distinctivam Spirationis Passiva*, nisi urgente ratione id possit commonstrari, qualis tamen haud apparet, saltem si eædem Relationes dicantur esse Perfectiones simpliciter, vel depuratæ ab omni imperfectione, quod magìs verisimile antea diximus. Verùm hæc satìs. Oportuit tamen ea afferre, ne primum, quod supposuimus, omnino instabile æstimaretur.

CLX. Alterum, quod supponimus, in eo versatur, quòd eædem Perfectiones Relativæ sint etiam infinitæ; tum suo etiam modo dici valeant simpliciter infinitæ, quantum nempe sufficit ad præsentem Controversiam componendam. Infinitas sic probatur: Quod nec finitum est, neque præscindit ab ente finito & infinito, est ens infinitum. Sed Perfectiones Relativæ sunt entia, quæ neque sunt finita, neque præscindunt ab ente finito & infinito. Ergo sunt entia infinita. Major patet, quia aliud divisionis membrum, præter ly infinitum, quod inferre contendimus, gratìs adjiceretur, ut probatur ex eo, quia omne ens creatum imbibit finitudinem; igitur & omne ens increatum, quale est Relatio, imbibet infinitudinem, nam contrariorum eadem ratio &c. Minor verò præsentis Syllogismi ita ostenditur. Perfectio-

nes Relativæ inprimis non sunt imperfectæ, eo ipso, quòd dicantur depuratæ ab omni imperfectione ex dictis n. 159. Ergo nec finitæ. Deinde Paternitas v.g. non potest abstrahi vel ab ordine, quem dicit ad aliam Personam, cui etiam repugnet esse finitam, & idcirco imperfectam, vel ab ordine, ut ipsa Paternitas sit realiter DEUS, item producat Filium, qui & ipse ratione sui exigat identitatem cum Essentiâ Divinâ. Ergo Perfectiones Relativæ sunt entia, quæ neque sunt finita, neque præscindunt ab ente finito & infinito.

CLXI. Majoris est moliminis, an dictæ Perfectiones Relativæ possint etiam cognominari simpliciter infinitæ? Conemur & hoc negotium conficere. Ita discurro. Perfectiones Relativæ neque possunt crescere ex suo genere, neque intra hoc genus, qui Scholarum sermo est. Ergo eædem Perfectiones Relativæ sunt simpliciter infinitæ. Consequentiæ nova lis non intentabitur. Antecedens verò probatur quoad utrumque membrum. Inprimis enim nequeunt crescere ex suo genere. Nam quantumvis genera ac species alterius Paternitatis ascenderent & ascenderent in infinitum, nulla tamen valeret adæquare Paternitatem Divinam. Hæc siquidem una, & quidem absque commixta imperfectione, contineret in simplicissimâ suâ Relatione omnes perfectiones dispersas in illis ita ascendentibus Paternitatum generibus ac speciebus, quæ proinde absque fine in suâ proportionali lineâ extensæ abessent adhuc infinitè à Paternitate Divinâ. Secundum membrum ejusdem Antecedentis, cùm alia argumenta sine novis longioribus suppositis hîc inseri non possent, sufficiet probare *ad Hominem*, seu contra Scotistas, quibuscum circa Infinitatem Meritorum Christi maximè fervet pugna, & ex quo medio absolutum quoque Argumentum facili operâ colligetur. Subtilis Doctor in 1. Dist. 8. q. 4. docet, quòd Justitia Divina, licèt distinguatur à Misericordiâ Divinâ distinctione illa conformi Scholæ, cujus ille Caput est, remaneat tamen in suo genere infinita. Ergo etiam Perfectiones Relativæ dici poterunt in suo genere infinitæ. Probo Consequentiam. Ideò prius sic se habet, quia Justitia Divina non potest ita præscindi, quin realiter sit Essentia Divina, hæc verò identificet sibi infinitatem tam in Attributo Misericordiæ, quàm Justitiæ. Sed hæc ratio militat etiam pro causâ nostrâ, ergo &c. Probo Minorem. Nam Relatio etiam Paternitatis non potest ita præscindi, quin importet ordinem necessariæ identitatis cum Essentiâ Divinâ, & consequenter ut realiter sit Essentia, quæ per identitatem includit infinitatem in omni genere. Ergo Perfectiones Relativæ etiam sunt in suo genere infinitæ, ac eapropter neque in illo possunt crescere, quod erat à nobis secundo loco præmittendum, & Argumentorum semina paucis inspergenda.

CLXII. Jam tertium, quod dicebam, haud ampliùs difficulter infero. Personalitas Verbi, etiam ut distincta virtualiter

rualiter à Naturâ Divinâ potest dici radix Infinitatis Meritorum Christi simpliciter dictæ. Probo. Merita Christi dicunt constitutivè & quasi pro suo Principio formali ipsam dignitatem operantis. Ergo si ista dignitas sit simpliciter infinita, etiam Merita exinde habebunt radicem Infinitatis simpliciter dictæ. Antecedens à nobis multùm, diúque, sed non ultra meritum Controversiæ, deductum ac roboratum est integris ferme duabus, quæ præcesserunt, Difficultatibus. Consequentia ibidem pariter ostensa est, quia nimirum dato illo constitutivo, seu quasi formâ Meritorum, prout nos eam descripsimus & stabilivimus, etiam ea concreta Meritorum suscipient propter talem terminum intrinsecum ipsam hanc denominationem, quòd sint infinita simpliciter. Subsumo. Atqui Personalitas Verbi, ut distincta virtualiter ab Essentiâ Divinâ, intelligitur Principium, ut quod, operans per humanitatem sibi intimè conjunctam, ac simul est Dignitas Personalis simpliciter infinitè perfecta. Ergo dicta Merita habebunt in Personalitate Verbi, ut ita distinctâ, radicem Infinitatis simpliciter dictæ. Minor subsumpta procedit ex duobus suppositis, quorum veritatem paulò antè declaravimus. Consequentia verò in principiis, quæ jam probavimus, legitima est, ergo &c.

CLXIII. Opponi tamen posset primò. Si Personalitas Verbi dignificaret etiam ratione sui ipsa Merita Christi, tunc foret etiam quædam Dignitas, ut jam ipsi intulisse videmur per decursum hujus dissertationis. Sequela non admittitur, cùm Dignitas in Divinis appellet Naturam essentialiter immultiplicabilem, ergo &c. Respondeo Distinguendo Majorem. Foret Dignitas Relativa, quod semper addimus, C. M. Dignitas absolutè enuntiabilis N. M. Ratio est, quia nomen Dignitas absolutè euntiatum designaret Dignitatem Naturæ Divinæ, quæ, ut jam dixit Objectio, immultiplicabilis est. Sed reducenda hîc in mentem doctrina S. Thomæ, quæ ad firmandum primum suppositum adducta est. Sic ille exponit dictum Basilii M. *Spiritus S. est secundus à Filio dignitate*, nimirum, verba sunt Angelici, *non dignitate naturali*, *sed Personali*. Subsumo. Atque Dignitas Personalis, ut distincta à Naturali, multiplicatur, ergo &c. Cæterùm, amabo, nunquid etiam Perfectiones Relativæ ratione sui dignæ sunt æstimatione, encomio, cultu, obsequiis? Vel ipsa ad hæc incitat Ecclesia, ut memoratum n. 159.

CLXIV. Opponi posset secundò. Possibile fuit, omnes tres Personas Divinas simul assumere eandem Humanitatem. Quæ enim in hoc eventu contradictio? Non ex capite Personarum. Nam defacto, quòd Pater subsistat in Naturâ Divinâ, haud impedit, quin in eádem Natura subsistat etiam Filius ac Spiritus S. Sed nec ex capite Humanitatis. Si enim hæc & rursus defacto, licèt in se finita, terminari tamen potest infinitâ Personalitate Verbi, cur non supersit capa-

 citas

citas obedientialis, ut vocatur, in eâdem Humanitate, tanquam terminandâ tribus Personalitatibus infinitis? Jam verò hanc quis posset Objectionem cudere. Vel Merita Christi, ut dignificata à tribus Personis Divinis, evaderent digniora, quàm illa Merita Christi, quæ defacto extiterunt, vel non evaderent digniora? Neutrum potest dici. Non primum, quia alias unum infinitum foret majus altero. Sed nec alterum. Nam ita Pater & Spiritus S. ut assumentes eandem Humanitatem, non superadderent peculiarem, ac suæ Relationis propriam Perfectionem, id, quod fundamenta à nobis hucusque jacta subverteret. Confirmatur. Quantitas molis infinita, si daretur, includeret omnem quantitatem, neque capax esset ulterioris incrementi in eâdem quantitate. Ergo & quantitas infinita Perfectionis ac æstimabilitatis non erit capax incrementi in eâdem quantitate Perfectionis. Subsumitur. Atqui, si Humanitas assumpta & hujus opera redderentur digniora propter triplicem Personam illi Humanitati unitam, jam quantitas infinita Perfectionis esset capax talis incrementi, quando nempe superadderetur alia non minor Perfectio, ergo &c.

CLXV. Respondeo ad primum, utique concedendo eventum illum, ut possibilem. Ductum sequimur Angelici, qui 3. p. q. 3. a. 6. in c. ita loquitur: *Est autem talis Divinarum Personarum conditio, quòd una earum non excludit aliam à communione ejusdem naturæ, sed solùm à communione ejusdem Personæ*; & statim inferiùs. *Sic ergo non est impossibile Divinis Personis, ut duæ vel tres assumant unam naturam humanam.* Porrò ad Objectionem ex hoc possibili eventu depromptam respondeo, negando Minorem, & dico inprimis, quid, si aliquis transmitteret, unum tale Infinitum esse majus altero? Legantur, quæ S. Gregorius Nazianzenus profert in illud Joan. 14. *Pater major me est.* En verba hujus Sancti Patris, cognomento Theologi! *Quòd ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, verè quidem dici potest, sed non perinde honorificè. Quid enim mirum, DEUM homine majorem esse?* Orat. 4. de Theol. Consentit D. Hilarius: *Major est Pater, dum est Pater, quia nativitas Filii Patrem constituit majorem.* L. 9. de Trin. ubi innascibilitas Patris statuitur major nascibilitate Filii; quæ ipsa responsio dicitur ab Eximio nullâ esse censurâ digna L. 3. de Trin. c. 10. Sed opus non est, patrocinium assertionis nostræ accersere ab inæqualitate Personarum quoad conceptus abstractos, ut inquiunt. Revertor itaque ad Præmissam, cujus solutio reposcitur, ac negando rursus Minorem, dico, quòd Merita, ut dignificata à tribus Personis, non forent majora, simpliciter & intensivè loquendo, quàm Merita Christi, quæ defacto sunt posita. Ad Probationem in contrarium repono N. A. Ratio est, quia licèt Relationes illæ superadderent peculiarem ac sibi propriam Perfectionem, nihilominus

minus magnitudo ea infinita proveniret in singulis ac omnibus tribus Personis ex eo, quia important ordinem, ut sint in Essentiâ Divinâ per identitatem cum illâ, quemadmodum pluribus explicatum est in structurâ secundi suppositi. Unde cùm in unâ, eadémque Naturâ subsistat Verbum, in quâ subsistunt Pater & Spiritus S. ac prætereà ratio Infinitatis simpliciter dictæ desumenda sit ultimatò ab identitate reali Personarum cum Essentiâ Divinâ, jam Merita quasi informata triplici Perfectione Relativâ non essent majora, simpliciter loquendo, quàm Merita, qualia defacto data sunt, nempe ita informata Perfectione Relativâ Verbi; nam absentiam unionis hypostaticæ cum duabus reliquis Perfectionibus Relativis, quà talibus, velut compensaret unio cum unâ Personâ, in quantum hæc realiter est idem cum Essentiâ Divinâ; ratione cujus ipsius identitatis etiam reliquæ Personæ, si assumpsissent Humanitatem, elevâssent secutura Merita ad Infinitatem simpliciter dictam, ergo &c.

CLXVI. Ad Confirmationem respondeo, perquirendo, an unum ex duobus illis infinitè quantis posset crescere, si illi adderetur quantitas alterius infiniti, vel an neque tunc posset crescere? Si primum. Ergo jam priùs caruisset infinitate quantitatis, quod pessumdat hypothesin. Si secundum, Ergo jam antecedenter complexum esset quantitatem alterius infiniti, licèt hæc ponatur primùm superaddi, quod pertinet ad paradoxa. Directè Nego Antecedens, siquidem possibilis foret talis quantitas. Ratio est, quia nullum ens creatum ob ipsam suam restrictam perfectionem potest inesse pluribus inter se realiter distinctis. Itaque & quantum illud ex hypothesi quidem non posset crescere, quia infinitum, sed tamen posset verè crescere, quia capax v. g. palmi superaddendi, quem illud antea non continuerat, vel qui subinde detractus, postea rursum adjectus esset; quæ ipsa contradictio pulcher scilicet character est talis Infiniti creati, quod prætenditur &c. Ex opposito Natura Divina ob illimitatam suam Perfectionem potest inesse, atque actu inest pluribus Personis realiter inter se distinctis, quas non exigit ratione suæ indigentiæ, sed potiùs fœcunditatis, quâ se illis communicet; hæ verò Personæ, sicut afferunt Oppositionem Relativam inter se, ita quoque inferunt pluralitatem. Igitur & dari poterunt tria infinita, sed quæ infinitatem simpliciter dictam habeant ex identitate reali cum eâdem Essentiâ, atque sic æqualem etiam reddant magnitudinem unius cum magnitudine trium, & vicissim. Cæterùm etiamsi primum Enthymema Confirmationis ex integro transmitteremus, falsum tamen est suppositum Minoris assumptæ, quasi scilicet digniora essent Merita propter illam triplicem unionem, loquendo simpliciter, id, quod iterum negamus.

SECTIO

SECTIO II.

Num Infinitas Meritorum Christi desumi etiam possit à Natura Divina, mediatè unitâ Humanitati?

CLXVII. Dico primò. Unio Hypostatica, quæ de facto datur, verè etiam attingit Deitatem, quamvis sola Personalitas Verbi sit ratio formalis terminandi primò & per se humanitatem assumptam. Ita S. Thomas 3. p. q. 3. a. 2. in c. ubi hæc leguntur: *Primò quidem & propriissimè Persona dicitur assumere; secundariò autem potest dici, quòd etiam Natura assumpserit naturam ad sui Personam; & secundùm etiam hunc modum dicitur Natura incarnata: non quasi sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit. Unde Damascenus dicit: Dicimus, Naturam DEI incarnatam esse secundum Beatos Athanasium & Cyrillum.* Ita Angelicus, quod confirmat Eximius Disp. 7. de Incarnat. Sect. 2. Item in Comment. ad 3. p. q. 3. a. 2. addendo ibidem plura testimonia Conciliorum & SS. Patrum ad relatam sententiam Aquinatis stabiliendam & magis declarandam. Probo etiam ratione. Cui verè convenit assumere humanitatem, illi quoque sic convenit, uniri eidem humanitati. Sed Naturæ Divinæ convenit assumere humanitatem. Ergo & uniri humanitati. Major est notio terminorum. Minor constat ex Authoritate S. Thomæ, tum probatur cum Eximio Disp. 7. cit. Sect. 2. *Quia illa una Natura idem est cum Verbo, non potuit Verbum uniri carni, quin Natura illa manserit carni unita; & in hunc modum exposuit illam locutionem Quinta Synodus collat. 8. can. 8. ubi per eam vocem,* Unam Naturam incarnatam *unitionem naturarum secundùm Subsistentiam significatam esse dicit*, nempe Verbi, de quo ibidem sermo. Subsumo. Atqui sic Unio hypostatica verè etiam attingit Deitatem, ergo &c. Advertendum tamen, quòd enuntiari non debeat sine addito explicante hæc Propositio: *Divinitas est incarnata.* Ratio est, quia Divinitas ex suo modo significandi non supponit pro Personâ. Unde si illa absolutè diceretur incarnata, modus hic loquendi designaret, quasi Natura Divina primariò ac ratione sui, & per consequens in omnibus tribus Personis incarnata esset, quod falsum est. Enuntiandum itaque potiùs: *Natura Verbi, vel Divinitas in Verbo incarnata est*, quæ sermonis moderatio jam exprimit, quòd Natura Divina non sit primò ac per se, sed secundariò ac ratione Personæ Verbi unita humanitati.

CLXVIII.

CLXVIII. Jam ad quæstionem in Titulo expositam responsurus, dico secundò. Infinitas Meritorum Christi desumi etiam potest à Naturâ Divinâ, mediatè unitâ humanitati. Conclusionem tam hanc, quàm præcedentem tradit Clarissimus P. Gormaz Disp. 10. de Incarnat. Sect. 1. at probat ex alijs capitibus, quibus hîc uti non possumus. Probo itaque. Natura Divina verè est incarnata in Persona Verbi, seu Divinitas Verbi assumpsit humanitatem Christi; Ergo Infinitas Meritorum Christi desumi etiam potest à Naturâ Divinâ, mediatè unitâ humanitati. Antecedens ostensum est n. præcedente. Consequentia verò probatur. Ideò prius ritè procedit, quia licèt Divinitas copulata sit humanitati mediante Personalitate Verbi, hoc tamen medium est duntaxat virtualiter distinctum ab ipsa Divinitate. Sed proportionalis ratio commonstrat, quod modò probandum, ergo &c. Probatur Minor. Nam etiam quoad dignificanda Merita Christi non intercedit, nisi medium virtuale, seu Personalitas Verbi virtualiter distincta ab ipsa Divinitate. Confirmatur. Si Persona Verbi concipi posset, quin tamen se haberet relatè ad Divinitatem, in qua per identitatem realem sit ea Persona, jam huic relinqueretur sola Infinitas ex genere, non verò in genere, ut ostendimus in Sect. antecedente. Ergo Infinitas simpliciter dicta, quam confert Persona Verbi ipsis Meritis, jam desumi debet ex ipsa etiam Divinitate. Probatur Consequentia. Nam ideò hæc Persona superfundit memoratâ Infinitate illa Merita, quia est Persona incommunicabiliter subsistens in Naturâ intellectuali, non qualicunque, sed perfectissimâ, ac supremè excellenti, nempe Divinâ, cum quo proinde immenso Perfectionum Pelago eadem Persona exigit habere realem identitatem, ergo &c.

CLXIX. Opponi tamen posset primò. Si Natura Divina dici potest dignificare Merita Christi, eò, quòd habeat identitatem realem cum Hipostasi Verbi, tunc etiam Pater ac Spiritus S. dici possunt dignificare eadem Merita, quia & hæ Hypostases habent identitatem realem cum Natura Divina. Sequela est falsa, ergo &c. Respondeo, negando Majorem. Ratio disparitatis est, quia Natura Divina idcirco dignificat Merita Christi, quia ista dignificantur à Persona Verbi, quæ est tantùm virtualiter distincta à Natura Divina, ubi nullum intercedit medium reale. Ex opposito autem respectu Personæ Patris ac Spiritûs S. deveniri non posset ad unionem cum humanitate, nisi mediante Persona Verbi, quæ est realiter distincta à reliquis Personis; ubi clarum est, jam intercedere medium reale. Præterea dicant, si qui adversentur, cur dici possit ac debeat Divinitas incarnata in Verbo, & non etiam Pater ac Spiritus S. incarnati in Divinitate? Unde tam ad Argumentum, quàm ad hanc retorsionem dissolvendam omnino apparet sufficiens ac etiam sequenda

nostra Responsio, ut nempe sic legitimè exponantur Conciliorum Oracula & SS. PP. effata, quæ inquiunt, Naturam Divinam incarnatam esse in Verbo, negant verò, incarnatam esse Personam Patris vel Spiritûs S. Expedita jam applicatio erit ad dignificationem Meritorum Christi desumptam à Naturâ Divinâ &c.

CLXX. Opponi posset secundò. Si Natura Divina reddit Merita Christi simpliciter infinitè digna, tunc illa reddet similiter immensa, æterna &c. Sequelæ non possunt admitti. Nam prior faveret hæreticæ Ubiquitati Lutheranorum, ut vocatur; altera verò contradiceret Apostolo, qui ad Hebr. 1. dicit: *DEUS novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, ergo &c. Major autem probatur. Nam & hîc inter Immensitatem ac Æternitatem, quibus pollet Natura Divina, non intercedit medium reale, quod excludat à Meritis has denominationes: *Immensa, Æterna.* Ergo &c. Respondeo N. M. Ratio est, quia objectæ hæ denominationes Immensi, Æterni, sunt negativæ, ut appellantur, seu excluderent ab omni constitutivo illius totius, supra quod caderent, rationem initij quoad tempus, vel determinationis quoad locum; hoc verò evidens est, repugnare illi toti morali, quale est Meritum Christi, utpote quod involvit etiam actionem humanitatis Christi, qualis actio & incepit esse, nec fuit ubique. E contrario denominatio Meriti, tanquam simpliciter infiniti, positiva est, utpote derivata à forma vel quasi formâ Dignitatis in operante relucentis, ut ex disputatis à n. 116 hucusque in comperto est, sicut etiam quòd Dignitas quasi informans Merita Christi sit simpliciter infinita. Quòd si rationem hujus ipsius exigas, cur aliquæ denominationes sint negativæ & aliæ positivæ, & ego perquiro, cur Meritum sit certum obsequium DEO exhibitum, ac insuper tale obsequium vocetur Meritum? Nempe primum, quia hoc est. Alterum. *Sic voluêre priores.*

CLXXI. Opponi posset tertiò. Ex integro hoc Discursu nostro infertur, quòd Natura Divina etiam esset genita ac producta in Verbo, sicut in hoc est incarnata, ac dignificat Merita Christi. Sequelam improbat Ruiz noster Disp. 8. de Trin. Sect. 4. inquiens, quòd *temerarium & errori proximum* sit asserere, hanc locutionem esse propriam: *Natura Divina est producta vel distincta à Patre, sed in Filio.* ergo &c. Respondeo Nego Sequelam Majoris. Nam, ut ait Eximius in Comment. cit. *prior pars hujus locutionis*, quam habet Fulgentius l. de Fide ad Pet. c. 2. *Natura, quæ semper est genita ex Patre, naturam nostram à Matre sine peccato suscepit, est impropriissima & in rigore falsa, quia Divinitas non est genita*, quamvis piè eam explicet Angelicus 3. p. q. 3. a. 2. in argum. sed contra, ut rursus advertit Eximius. Porrò cur non procedat hæc objecta nobis denominatio, bene autem illa, quam nos docuimus, ratio est, quia ad denominationem legitimè

gitimè inferendam non sufficit, si detur forma vel quasi forma de se capax tribuere proportionalē effectū formalē, & adsit insuper idoneum aliàs unionis vinculum, quando interea deest subjectum, vel quasi subjectum, ut capax ejusmodi denominationis. Constat verò aliunde, Naturam Divinam essentialiter esse improductam, atque in Principio producente præsuppositam, & idcirco productionem Filij nullo modo producere Naturam, sed istam purè communicare termino producto. E contrario in his denominationibus: *Natura Divina incarnata est in Verbo*; Item *Natura Divina sic assumens Humanitatem dignificat Merita Christi*, neque deest requisita capacitas, quod probatur. Si Divinitas assumpsisset humanitatem secundùm Prædicatum absolutum, tunc consequenter etiam incarnata fuisset tota Trinitas. Ergo quia defacto incarnata est Persona Verbi, etiam consequenter, seu ut superiùs loquentem Angelicum induximus, secundariò & ratione Personæ Verbi incarnata fuit Divinitas, tanquam *extremum quod*, ut ajunt, non autem tanquam *extremum in quo*. Antecedens colligitur ex Concilio Toletano VI. can. 1. ubi hæc definiuntur: *Cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (nam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate Divinæ Naturæ, id est, in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitatis. Nam si unam nati hominis, DEI alteram confecisset Personam, tota Trinitas corpus assumpsisset; quoniam constat, Naturam Trinitatis esse unam, non tamen Personam.* Consequentia verò per se connectitur cum filo, quod in tota hac Sectione duximus. Reperio tantùm illud, omnes teneri ad solutionem hujus argumenti, si nempe hoc similibus terminis proferatur: *Natura Divina non potest dici genita in Verbo. Ergo nec incarnata in Verbo*, quorum tamen alterum tenemur omnes asserere. Unde si quem premeret Objectio, equidem haud nos solos.

DIFFICULTAS IX.

Primatus Christi in ordine Decretorum DEI.

SECTIO I.

Paratur via, eruendo objectum prodigiosi Somnij, quod in Paradiso habuit Adamus.

CLXXII. Aggredimur Quæstionem, de qua eruditissimus Mastrius Disp. 4. de Satisfact. Christi q. 1. in Proœm. sic profatur:

Hæc est celeberrima Quæstio inter omnes ad Tertiam Partem vel Tertium Librum Sententiarum spectantes, in quâ est sermo de causa finali Incarnationis. Nobis sanè ea omittenda nullo modo visa est, qui Prærogativas Christi speculamur, ac eas pro viribus commendare statuimus, inter quas utique eminet, obtinere Primatum in Mente DEI, atque hujus velut oculos & nutum primò intendi in illud donum, quod, ubi nobis impertitus est Optimus DEUS, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* ad Rom. 8. *Omnia*, subjungit Interpres Cornelius, *quæ spectant vocationem, justificationem, glorificationem, & salutem nostram, ut nulla adversa vel prospera, nulli hostes, nulli persecutores eam impedire possint, nisi sponte ijs cedamus & succumbamus.* Verùm sicut hæc pulchrè dicuntur, ita non obvium est, præsentem Difficultatem ad methodum Scholasticam redigere. Passim quidem argumentum ducitur à fatidico Somnio, quod in Paradiso habuit Adamus. Sed etiam, quo fulcro ista ratio sustentetur, primo aspectui non ita pervium est. Conabimur itaque ante alia objectum ejusdem Somnij eruere, ac ita planius iter sternere ad reliquos anfractus, quos ejusdem Difficultatis Titulus intentat, eò certiùs permeandos.

CLXXIII. Dicò primò: Adamus, antequam peccaret, jam habuit factam sibi Revelationem de Christo venturo, seu de ponenda Incarnatione Dominica. Ita S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 7. in c. ubi habentur sequentia: *Ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione;* & post intervallum: *videtur autem Incarnationis Christi præscius fuisse per hoc, quod dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, ut habetur Gen. 2. Et hoc Apostolus ad Eph. 5. dicit, Sacramentum hoc magnum esse in Christo & Ecclesiâ, quod quidem Sacramentum non est credibile primum hominem ignoràsse.* Suffragantur plures sancti Patres, ut D. Augustinus L. 9. de Genesi ad Literam c. 19. de abscondito Incarnationis Mysterio affirmans, *propter extasim, quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitùs, tanquam Prophetam, dicere potuisse.* S. Hieronimus supra c. 5. ad Eph. compellans Adamum *primum de Christo Vatem*, ac similiter SS. Chrysostomus Hom. 16. in Gen. & S. Epiphan. Hæres. 48. *Prophetam.* Plura eruditionis cupido suggeret Eximius L. 3. de Oper. sex Dierum. c. 2. consentiente P. Vasquez in 3. p. Disp. 12. c. 3. Addamus, ut sancto Doctori nostro familiare est, ubi de exploratis *Quæstionibus facti* agitur, unam vel alteram congruitatem, quare facta esse existimetur talis Revelatio. Prima se tenet ex parte Christi. Nam ad hujus gloriam spectabat, ut semper, seu pro felici etiam statu Innocentiæ esset agnitus & honoratus, tanquam Caput & Author salutis. Altera ex parte Adami, ut nempe hic stimularetur ad conservandam suam innocentiam, humilem & exactam obedientiam

etiam præstando Jussis Divinis, postquam certissimè intellexit, DEUM adeò amantem fuisse generis humani, ut absque hujus meritis nihilominus Id *apprehendere* decreverit, relictis nobilioribus Angelis ad Hebr. 2.

CLXXIV. Dico secundò, Adamus elicuit Fidem Theologicam, credendo, futurum Adventum Christi sibi revelati. Ita denuò S. Thomas asserens, Adamum habuisse *explicitam Fidem de Christi Incarnatione* ut allegavimus n. præcedente, ubi procul dubio intelligitur Fides Theologica, de quali nempe loquitur Aquinas in 1. p. q. 95. a. 3. in c. *Fides & Spes esse poterant in primo statu, & quantum ad habitum, & quantum ad actum*, atque expressiùs q. 18. de Verit. a. 3. in argum. Sed contra. Dicit Augustinus l. 14. de Civit. DEI c, 26. *Adam in statu Innocentiæ habuit charitatem de corde puro, & fide non fictâ*, ex quo etiam patet, Hipponensem Conclusionis hujus Ducem esse.. Intelligitur verò per hanc *Fidem non fictam* Fides Theologica, cùm verba illa deprompta sint ex 1. ad Tim. 1. ubi Apostolus ait: *Finis autem Præcepti est Charitas de corde puro & fide non fictâ. Nota*, ait hic Commentator Cornelius, *tria Epitheta & tres causas trium Virtutum Theologicarum. Charitas enim dicitur manare de corde puro, & vicissim, quòd puritas gignat Charitatem. Spes debet esse sibi bene conscia, & vicissim bona conscientia Spem parit. Fides debet esse sincera, & vicissim sincerus amor veritatis parit Fidem &c.* Probatur Conclusio etiam ratione, quanta rursus sufficit, præsuppositâ jam priore Authoritate. Ita procedimus. Ex unâ parte habuit Adamus in statu Innocentiæ Fidem Theologicam, simpliciter loquendo; ex alterâ verò parte nihil obest, quin habuerit quoque talem Fidem circa Mysterium Incarnationis; imò congruum fuit, ut etiam illi ejusmodi Fidem adhiberet. Ergo &c. Prima pars Antecedentis liquet ex universalibus illis S. Scripturæ testimoniis, nempe *justum in fide vivere*. Heb. 2. Item *impossibile esse, sine fide placere DEO*. Hebr. 11. *peregrinantes à Domino per fidẽ ambulare*, 2. Cor. 2. &c. Adamus verò in statu Innocentiæ fuit justus, placens Deo, & viator. Secunda pars ejusdem Antecedentis ostenditur. Quid enim obstat? An, quia cognitio illa, quæ à nobis asseritur, fuisse fides, intulisset evidentiam in attestante? Sed hoc ipso, quòd Adamus asseratur Fidem Theologicam elicuisse, sicut priùs retulimus, colligitur non habuisse eam evidentiam in attestante, tanquam motivum actûs Fdei liberæ ac meritoriæ, quemadmodum probavimus Part. 2. Strom. c. 4. Sect. 1. Neque refert, quòd Adamus suprà à nobis vocatus sit Propheta, nam & talis appellari merebatur ob indultam ei revelationem futuri contingentis & soli DEO liberi, ac simul ob officium saltem implicitè demandatum hanc *manifestationem veritatis existentis supra hominem* denuntiandi quoque sui posteris, qualia ad Prophetiam requirit S.

Thomas 2. 2. q. 171. a. 3. in c. & ibidem q. 176. a. 2. & 6. in c. An potiùs obstaret, quòd fatidicum illud Somnium induxisset visionem Incarnationis in seipsâ, ac per consequens non admittentem in consortium Fidem Divinam, cui essentialis est obscuritas? Sed gratis hoc infertur; nam pari jure liceret inferre visionem Personæ Verbi in seipsa, quæ tamen puro viatori non competit. An denique, quòd ex eadem Visione ortus fuisset naturalis etiam Discursus circa Incarnationem, quatenus possibilem? Sit ita. Sed in Prælectionibus de Fide ostendimus, actum Fidei & Scientiæ posse simul consistere circa idem objectum materiale, ac in eodem intellectu creato; præterquam quòd sic tolleretur ferme omnis Fides Theologica, ut ab Adamo elicita; nam aliqua talis aut similis replica ubivis ferme opponi posset. Tertia denique pars superioris Antecedentis ita ostenditur. Congruum est, ut Viro exploratæ Sapientiæ in rebus probè concipiendis, atque veracitatis in suis conceptibus per verba prodendis, non denegetur fides, nec etiam ista, ordinariè loquendo, suspendatur. Ergo maximè congruum fuit, ut Adamus præstaret fidem DEO, quem & naturali ratione demonstratum habebat, ut infinitè sapientem ac Veracem, & insuper DEUM his Attributis præditum crediderat; ac idcirco, ut etiam crederet hoc particulare dictum, nempe Incarnationem ponendam esse; simul verò crederet eandem veritatem per Fidem Theologicam, ad quam eliciendam & Divinæ Gratiæ auxilijs instructus erat, ac qualis Fides ob suam perfectionem ex adhæsione firmissima tam intellectûs, quàm voluntatis dignior est, ut Primæ Veritati in cognoscendo ac loquendo rependatur, ergo &c.

CLXXV. Dico tertiò. Revelatio hæc Adamo facta aperuerat etiam motivum aliquod futuri adventûs Christi, sed abstrahens tamen à secuturo lapsu ejusdem Adami. Conclusio quoad priorem partem deducitur vel ab ipsa confessione Thomistarum, contra quos in hac difficultate ferè tota pugnabimus. Sic enim inquit illorum, quem dixeram, Antesignanus Jo. à S. Thoma Disp. 10. de Incarnat. a. 2. *Habuit Adamus fidem Christi, ut Consummatoris Gloriæ. Ergo ut superioris sibi, & perficientis, seu authorizantis eum in gloriâ.* Subsumo. Atqui Fides reduplicans supra Christum, ut talem Consummatorem Gloriæ, designat idem motivum adventûs Christi fuisse revelatum, cùm fides nitatur unicè Authoritate DEI revelantis, ergo &c. Præterea suadetur tum ex eo, quòd additio cujusdam motivi sit magis accommodata intellectui humano, cujus inclinatio naturalis fertur ad cognoscendas rerum causas, tum ex hoc, quia Revelatio præscindens omnino à fine Incarnationis, jam eo ipso suspicionem ingessisset, ne Christus, cujus Merita respectu omnis Præmij possibilis, ac per consequens etiam remissionis peccatorum, fore infinita, non difficulter ab Adamo colligi

ligi poterat, mittendus esset à DEO ad reparandum genus humanum noxâ originariâ inquinatum, tale verò motivum subinde eundem Adamum celaretur, quod jam accederet ad illud inconveniens, cujus evitandi gratiâ alteram partem Conclusionis apposuimus, ergo &c. Probatur igitur hæc altera pars authoritate & ratione S. P. Augustini L. 11 de Genes. ad Literam c. 18. subtilem hanc quæstionem proponentis: *Si primus homo futuri sui peccati præscius erat divinæque vindictæ, beatus esse unde poterat? Ergo erat in Paradiso non beatus. Si autem non erat futuri sui peccati præscius. Ergo per hanc ignorantiam aut ejusdem beatitudinis incertus, & quomodo jam verè beatus? aut falsâ spe certus, non scientiâ, & quomodo non stultus?* Porrò contemplemur, quid Hipponensis ad hoc Dilemma respondeat. *Beatus, ait, erat homo in Paradiso ante peccatum, quamvis incertus futuri sui casûs, qui spe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, ut nulla esset tribulatio, cui toleranda patientia militaret. Quamvis enim non vana præsumptione de incerto certus, velut stultus, sed spe non infidelis, antequam apprehenderet illam vitam, ubi certissimus ipsius æternæ vitæ suæ futurus esset, posset exultare, quemadmodum scriptum est Psalm. 2. cum tremore & exultatione, multò abundantiùs in Paradiso, quàm Sancti in his terris, beatus esset modo quodam inferiore, quàm in illa vita æterna Sanctorum, supercælestiúmque Angelorum, non tamen nullo.* Ex quo acuto sermone patet, sanctum Patrem quidem concedere, quòd præscientia peccati sustulisset beatitudinem, qualis data fuisset pro statu innocentiæ, sed non proinde sequi, quòd Adamus fuerit obnoxius stultitiæ, utpote quam præverterat spes futuræ commutationis in Gloria. ergo &c. Confirmatur. Videtur ex terminis patere, quòd revelatio vel directa, vel etiam indirecta, nempe in Christo revelato, ut Redemptore, convertisset Paradisum voluptatis in tristitiæ seminarium, si Adamus ita præscivisset, implendas reipsâ fore illas terribiles minas Omnipotentis DEI: *In quocunque enim die comederis*: nimirum ex ligno Scientiæ boni & mali, *morte morieris*. Gen. 2. sicut experimur, reos inferendi illis supplicij præscios jam toto priùs tempore tristari, ac mortem velut toto corpore præferre. Aliud itaque motivum, necesse est, exhibuerit illa revelatio Incarnationis Adamo facta, quod neque beatitudinem statûs Innocentiæ intercideret, simul verò in primo homine excitaret amorem & gratitudinem erga DEUM, atque à comestione prohibiti fructûs, quasi potens frænum, retraheret; quamquam nec opus habeamus ad doctrinam in sequente Sectione subnectendam motivo distincto ab ipsomet Mysterio Incarnationis proposito quoad substantiam, seu quoad admirabile Vinculum Naturæ Divinæ ac humanæ in Persona Verbi, ut nimirum Adamus illud crederet, atque Caput ipsius etiam primi hominis debitè adoraret ac coleret, ergo &c.

CLXXVI.

CLXXVI. Dico quartò. Revelatio in eodem prodigioso Somnio Adamo facta intendebatur ad hoc, ut ille primus homo fidem supernaturalem eliceret, ac ita cooperante tali Fide cresceret in Justitia, & simul augmentum caperent ipsæ Virtutes Theologicæ Adamo primitus infusæ. Conclusio quoad primam partem ostensa jam est n. præcedente; & saltem de facto ita contigit, quòd nimirum Adamus talem Fidem adhiberet Revelationi, quam in illo extatico somno hauserat, ut priùs conclusimus; quoad reliquas verò partes probatur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 6. de Justif. c. 6. præmittit, homines *disponi ad ipsam Justitiam, dum Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt*; deinde verò c. 10. ejusdem Sess. loquens *de accepta Justificationis incremento* docet, illos *in ipsa Justitia cooperante Fide* ... *is operibus crescere, atque magis justificari, sicut scriptum est Apocal. 22. Qui justus est, justificetur adhuc.* atque idem Caput his verbis terminat: *Hoc verò Justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis, Domine, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Nunc hisce suppositis ita argumentor. Fides, quæ habetur *per auditum*, seu *per prædicationem Apostolorum, qui quasi Legati missi à Christo ejus verbum prædicant*, ut ait Cornelius in c. 10. ad Rom. quod ipsum à Tridentino hîc citatur. Fides, inquam, quæ habetur per auditum, intenditur, ut homines credant divinitùs revelata & promissa, atque ubi Justificationem debito modo adepti sint, cooperante eâ Fide crescant in Justitia, ac simul accipiant augmentum Virtutum Theologicarum. Ergo etiam Fides illa, quæ habita est ab Adamo per prodigiosam Revelationem, intendebatur, ut ille crederet Incarnationi divinitùs revelatæ & promissæ, atque sic cooperante hac Fide cresceret in Justitia jam præhabitâ, ac simul acciperet augmentum Virtutum Theologicarum. Antecedens continet Oraculum Tridentini. Consequentia verò probatur. Nam etiam Adamo facta est ea revelatio, ut ille per Fidem in Christum venturum excitatus, conservaret Justitiam, ut rursus notatum n. 175. & per consequens eandem insuper cum principum Virtutum triade augeret, ergo &c. Confirmo *ad Hominem.* Juxta ipsum, quem sæpiùs jam citavimus, Joannem à S. Thoma Adamus peccando non perdidit sibi suam fidem, ac ideò SS. Ambrosium & Leonem, qui videntur contrarium doceret, sic explicat: *Quòd Adã exutus fuit fidei vestimento, optimè intelligi potest, quòd exutus fuit Charitate, quæ cùm sit forma fidei, veluti vestimentum ejus dici potest.* Disp. 18. de Incarnat. a. 3. Ergo multò magìs Adamus primævæ suæ Innocentiæ tenax retinuisset cum Habitu Fidei etiam proportionalia illius objecta, inter quæ erat Incarnatio illi revelata. Hanc proinde iterum ac iterum credendo proficere poterat in sua Justitia, ac simul intendere

tendere Habitum ejusdem Fidei, ergo &c. Paravimus primam viam. Planum modò erit, ad scopum controversi Primatûs Christi propinquiùs accedere.

SECTIO II.

Altera Dissertatio prævia, per quam à Christo avertitur ratio Boni, quod ajunt, Occasionati; ubi etiam exploratur mens S. P. Augustini ac S. Thomæ.

CLXXVII. INutilem hanc Quæstionem nonnullus fortè existimare posset. Sed nec pulchrum eam nescire; quasi verò utilitate careant Quæstiones illæ, quas S. Thomas in 1. p. q. 95. 96. 97. & 98. latè & accuratè prosequitur, ut, *an omnes homines in statu Innocentiæ fuissent æquales? an ibi etiã unus alteri homini dominatus esset?* &c. qualia disquirere, neglectâ interim indagine, an tunc quoque exstiturus fuisset Christus, apparet, ac si quis scorias colligeret, insuper habito auri metallo. Jure igitur Mastrius l. cit. *Utilissima est quæstio, cùm quæratur primarium & adæquatum Incarnationis motivum.* Nobis profectò gradus erit ad assequendum Primatum in ordine Decretorum DEI tam Christo gloriosum, quàm Humano generi pro omni, quo hoc datum fuisset statu, summè proficuum. Porrò per *Bonum occasionatum* hîc intelligitur cum Scoto in 3. Dist. 7. q. 3. & Dist. 19. q. unicâ tale Bonum, *quod vel non est bonum simpliciter & absolutè, vel saltem non ut tale amatur, sed tantùm veluti occasionaliter, sicut sectio tibiæ, potio amara, & pœnitentia, quæ non appetuntur, nisi occasione alicujus mali evitandi*, ut Subtilè explicat memoratus Mastrius Disp. cit. q. 1. Unde ad præcidendas tricas de nomine hîc inquirimus, an Christus sit tale Bonum, quod non modò amari potuerit independenter à peccato hominum, vel etiam hoc dato nihilominus amatum etiam consequenter fuerit propter suã excellentiam, sed quod actu amatum sit tali affectu Divino, ut ex vi hujus idem Bonum exstiturum fuisset, quamvis non datâ occasione peccati, id, quod in sequente Sectione pluribus ac ex instituto declarabimus.

CLXXVIII. Dico. Christus est Bonum exstiturum etiam absque tali occasione Peccati. Ita Scotus l. cit. Alensis 3. p. q. 1. memb. 13. Albertus Magnus 3. Dist. 1. a. 4. S. Bonaventura Dist. 1. a. 2. q. 2. qui oppositam quidem opinionem tenens, nostram tamen vocat *rationabilem* & *subtiliorem*. Eximius noster Tom. 1. in 3. p. Disp. 5. Sect. 4. ubi ita loquitur. *Prima ratio, quæ Divinam voluntatem inclinavit ad*

 volen-

volendam Incarnationem, fuit excellentia ipsius Mysterij, & alia bona, quæ ipsum per se consequuntur absque necessitate & remedio peccati &c. Conclusionem varij variè, nos ex principiis studiosè stabilitis in Sectione præcedente jam absque novo singulari labore probamus, ac uti videtur, non inefficaciter. Vel Adamo signatè revelatum fuit in prodigioso illo somnio, cujus ibidem meminimus, aliquod certum motivum futuræ Incarnationis, abstrahens tamen à peccato eventuro, sicut debuerat abstrahere ex dictis n. 175. vel si tale motivum signatè expressum non est, saltem revelata fuit ipsa substantia Incarnationis, seu Verbum assumpturum esse naturam humanam? Atqui sive primum, sive alterum reponatur, Christus est Bonum, quod extitisset etiam absque dicta occasione peccati, ergo &c. Probatur Minor. Si enim prius, Ergo motivum illud, ut creditum Fide Divina ab Adamo perseverante in statu Innocentiæ, fuisset etiam tunc efficax ad determinandam existentiam Christi. Si verò alterum. Ergo rursus substantia Incarnationis, etiam pro durante statu Innocentiæ adhuc credita per Fidem infallibilem, fuisset reipsâ posita; & per consequens cùm sapientissimus DEUS nihil intendat, nisi ob altissimas causas, hoc ipso colligitur, quòd ille ductus sit ad decernendam Incarnationem ex hujusmodi motivis, quæ occasionem peccati non præsupponerent, sed potiùs inducerent existentiam Christi, quamvis opus non fuisset curare hominem, qui tunc non infirmus, nec erigere à lapsu, qui tunc rectus perstitisset. Breviùs. Adamus & potuit ac debuisset, & quidem juxta ordinem ac leges præsentis Providentiæ explicatas n. 176. conservare Fidem in Christum, atque illi cooperando proficere in illibatâ suâ innocentiâ originali. Ergo potuit ac debuit etiam remanere objectum ejusdem Fidei Divinæ infallibilis. Subsumo. Atqui sic Christus est Bonum extiturum etiam absque occasione peccati, quale tunc non esset, ergo &c. Confirmo *ad Hominem*. Secundùm Joannem à S. Thoma Disp. 10. cit. a. 2. Adamus habuit Fidem Christi, ut Consummatoris Gloriæ, Superioris & Capitis Adami, authorizantis hunc in Gloriâ. Ergo juxta probata potuit ac debuit etiam remanere talis Fides in Adamo non peccante. Sed non potuisset remanere, si Christus non venisset ut Consummator Gloriæ, & Adamum in hac authorizans. Ergo Christus venisset ut talis Consummator, ac ita Adamum authorizans. Plures rationum ac Confirmationum sedes suppeditabunt sequentia.

CLXXIX. Sed quid de mente S. P. Augustini circa hoc punctum sentire decet? non aliud, ut opinamur, quàm quod ipsi conclusimus. Ille enim l. 1. de Nupt. & Concup. c. 21. enumerat tria bona Nuptiarum, nempe *propagationem prolis*, *conjugum fidem*, & *connubij Sacramentum*, *cùm ante peccatum dictum sit in Paradiso: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit*

rebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia, ac deinde comparando statum Naturæ humanæ Innocentis cum statu illius naturæ jam lapsæ subjungit: *His tribus bonis perfectè se haberet bonitas Nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ*. Subsumo iterum. Atqui per se constat, ultimum ex his tribus enumeratis Nuptiarum bonis, seu *Sacramentum hoc magnum in Christo & in Ecclesia* dari non potuisse, continuato eo statu Innocentiæ, si Christus non esset Bonũ exiturum etiã absque occasione Peccati. Ergo ex mente Hipponensis Christus est Bonum extiturum etiam absque tali occasione.

CLXXX. Jam opponant, licet, Adversarij alia ex eodem S. Patre deprompta testimonia, ut Serm. 8. de Verbis Apostoli: *Si homo non peccaret, Filius hominis non veniret*. & serm. 9. *Nulla causa veniendi Christo Domino fuit nisi peccatores salvos facere*. atque celebre illud, quod statim ibi subditur, ac etiam refertur à S. Thoma 3. p. q. 1. a. 3. in argum. sed contra. *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa*. Quæro, an pars adversa prætendat, Hipponensem ita statuisse pro causa finali Incarnationis Dominicæ ipsum remedium peccati, ut præterea nullam aliam vel inadæquatam & secundariam causam finalem ejusdem Incarnationis admittat? vel potiùs hic rigor interpretandi allata testimonia ipsis Adversarijs improbatur? Si primum. Ergo S. Doctor & falsum enuntiavit, ac secum ipso pugnavit. Falsum quidem, quia contradicens Incarnatæ Sapientiæ alios etiam adventûs sui fines pandenti, nempe: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati*, Joan. 18. *ut vitam habeant & abundantiùs habeant*. Joan. 10. *Ut glorificetur Pater in Filio*. Joan. 14. Secum verò pugnabit, quia, ut vidimus n. præcedente, ea alibi posuit, quæ non leve fundamentum substernant speculativæ etiam Controversiæ, quam modò agitamus, in favorem nostrum decidendæ. Si verò secundum. Ergo jam cessant in præsenti esse *malignantis naturæ*, ut Dialectici inquiunt, hæ particulæ *non, nisi, nulla* alia causa &c. atque ipsi Adversarij tenentur illis limites circumscribere, quos ipsæ voces, objectorum textuum comites, designant. Sed ecce! ut ipsemet S. Augustinus, ne ab illius mente aberremus, filum porrigat L. 1. de Peccat. Merit. & Remiss. c. 28. sic loquens: *Omnes pertinentes ad generationem connubij carnalis, non nascuntur, nisi in carne peccati, & omnes pertinentes ad generationem connubij spiritualis non mundantur, nisi per carnem similem carni peccati. Hoc est, illi per Adam ad condemnationem, isti per Christum ad justificationem* &c. & statim hoc declarat in exemplo hujus propositionis, quâ dicitur de aliquo Magistro bonarum Artium: *Hic omnes docet in hac civitate, ita ut præter illius Magisterium nemo literas discat*. Componenda jam testimonia Hipponensis

nensis: sine occasione Peccati *Filius hominis non veniret*, nempe indutus *carnem similem carni peccati*; ac hujus ita se habentis adventûs Christi *nulla causa fuit*, nisi procuranda salus peccatorum; item sublatis morbis *nulla esset medicina causa*, sed loquendo de hac velut *civitate*, seu communitate hominum per peccatum corruptâ, in qua *præter medicinam* à Christo allatam *nemo* remedium adipiscitur.

CLXXXI. Sed, inquies, quæ ista interpretandi ratio? Enimverò, ac si quis hanc propositionem: *Princeps regionis non veniret ad urbem suis mandatis refractariam, nisi ut exortam seditionem compesceret*, tali modo exponeret: *Non veniret*, ut *tanto satellitio circumdatus* &c. vel eam alteram; *Christus non venturus est judicare*; puta, *in carne ampliùs passibili* &c. Sed hæc expositio sustineri non potest. Ergo nec nostra. Respondeo negando paritatem. Disparitas est, quia priorum propositionum interpretatio neque authoritate, nec ratione firmatur; neque etiam patrocinium obtinet à necessitate componendi ita adversas in speciem sententias. Singula verò ac omnia ea capita militant pro nostra expositione, ut partim ex dictis elucet, & partim ex dicendis in clariorem se conspectum proferet. Interea en denuò paradigma ex sancto Augustino desumptum! Exponit ille ea verba Christi Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi*. Sed quomodo? *Secundùm Majestatem suam, secundùm Providentiam suam, secundùm ineffabilem & invisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est. Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi. Secundùm id verò, quòd à Judæis prehensus est, quòd in ligno confixus, quòd de cruce depositus, non semper habebitis vobiscum* &c. Tract. 50. in Evang. Joan. Quid ergo prohibet, quin similiter dicamus, Christum non futurum cum humano genere Innocentiâ suam retinente, sed non futurum ut Redemptorem, futurum tamen, ut Caput illius ac Fontem Gratiæ & Gloriæ?

CLXXXII. Transgredimur ad explorandam mentem Angelici. Hic 1. p. q. 99. a. 1. movens quæstionem, an Adamo non peccante nihilominus fuissent generationes humanæ, respondet: *Dicendum, quòd in statu Innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis; alioquin peccatum hominis fuisset valde necessarium, ex quo tantum bonum consecutum est*. Jam sic argumentor. Majus bonum est Generatio temporalis Christi secundùm carnem, quàm generationes omnium reliquorum hominum juxta illud Sap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ*, hoc est, vertit Cornelius, *cum Sapientia Incarnata, puta, cum Filio suo DEUS nobis omnia donavit ad Rom. 8.* Item Zach. 9. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum Electorum & vinum germinans virgines!* quod alij cum Vatablo *de doctrina Christi*; alij cum Lyrano *de Corpore & Sanguine Christi* exponunt. Ergo bonum

num tantò melius illo priore *tanto bono*, sive, in cujus comparatione illud bonum velut totum evanescit, neque debuit præsupponere peccatum humani generis ad sui existentiam. Confirmo. Si Generatio humani generis non fuisset, quàm ex hypothesi Adami peccantis, tunc hujus peccatum non posset tantùm dici occasio propagationis humanæ; sed *valde necessarium* ad hanc. Ergo si Generatio temporalis Christi secundùm carnem non fuisset, quàm ex hypothesi Adami peccantis, tunc hujus peccatum non posset tantùm dici occasio istius Generationis Christi, sed *valde necessarium* ad hanc. Atqui inconveniens est juxta Angelicum prior necessitas. Ergo & altera. Confirmo iterum & *ad Hominem*. Quamvis concessâ necessitate Peccati nihilominus ea propagatio generis humani deinde, vel simul, intenta esset ad alios fines, ut v. g. ad augendam Fidelium rempublicam, nihilominus talis necessitas rejicitur ab Angelico. Ergo etiam, quamvis concessâ simili necessitate peccati Generatio memorata Christi deinde, vel simul, intenta esset ad alios fines, ut v. g. ad Gloriam DEI ac ipsius Christi, nihilominus talis necessitas videtur rejicienda.

CLXXXIII. Verùm apertè contrarium nobis Aquinatem continuò exhibebis in 3. p. q. 1. a. 3. ubi hæc leguntur: *De his, quæ pendent ex voluntate Divinâ, nihil aliud scire possumus, quàm quòd ipse DEUS nobis revelavit; in sacris verò Literis nullum aliud explicatur motivum, quàm Redemptio peccatorum* &c. Solvo argumentum, vel ipso S. Thomâ in verba præeunte. Ita hic loquitur in 3 Dist. 1. a. 3. in c. *Alii verò dicunt, quòd cùm per Incarnationem Filij DEI non solùm liberatio à peccato, sed etiam humanæ naturæ exaltatio, & totius Universi consummatio facta sit; etiam peccato non existente, propter has causas Incarnatio fuisset; & hoc etiam probabiliter sustineri potest.* Deinde totum Articulum sic concludit: *Ad ea verò, quæ in contrarium objiciuntur; potest responderi, quòd Authoritates illæ loquantur de adventu in carne passibili ad redimendum. Redemptio namque non fuisset, nisi servitus peccati præcessisset; & non de adventu in carne simpliciter.* Opus haud est, multa vel nova addere; constat enim ex hac Responsione, Angelico non displicere sequentes distinctiones, quibus dicitur, Adamo non peccante non extiturum fuisse Christum, sed reduplicativè *quà Medicum sanantem vulnera & morbos, quà Redemptorem reparativum, quà consummantem sua Merita passione ac Morte Crucis* &c. Unde concessâ hac velut tacitâ facultate à Sancto Magistro nostro ad respondendum etiam quoad testimonia S. Scripturæ, quæ in contrarium opponuntur, etiam hoc breviter præstandum superest.

CLXXXIV. Primum ejusmodi testimonium ducitur ex cap. 15. Matth. *Non sum missus*, ait ipse Christus, *nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israël.* Respondeo, duplicem esse hujus textûs paraphrasin. Prima est S. Augustini Tract. 15. in Joan.

Joan. & Serm. 74. de Temp. S. Hilarij, & Abulensis, cujus tenor apud Sylveiram in c. 15. cit. hoc modo habet: Missus tantùm sum ad Judæos, ut illis in propriâ meâ personâ prædicem, & corporali meâ præsentiâ miracula exhibeam. Sed ita particula *non* in præsente textu Scripturæ erit tantùm exclusiva præsentiæ corporalis à reliquo humano genere; ac per consequens jam ipsis Adversarijs recedendum ab ea generalitate quam urgent, *particularum negantium*. Secunda paraphrasis ibidem porrigitur ex S. Cyrillo l. 5. in Is. nimirum, quòd per illud testimonium designetur, oportuisse Verbum DEI priùs innotescere Israëlitis, ac deinde primùm Gentilibus, atque ita *Judæos electos esse primos* secundùm propositum voluntatis Divinæ, ut infert S. Ambrosius, commentando in ea verba &c. Unde sic arguo. Stante Decreto Divino de submittendo Christo pro salute omnium hominum, subsistit nihilominus, illum priùs vel magìs intentum esse pro salute Israëlitarum. Ergo stante etiam Decreto Divino de submittendo Christo, tanquam Redemptore, subsistet nihilominus, illum priùs vel magìs intentum esse gratiâ sui, vel ut Authorem Gratiæ & Gloriæ humani generis. Probatur Consequentia. Idcirco prius bene asseritur, quia electus ille populus fuit objectum specialis DEI complacentiæ, sed etiam Christus quoad se, atque ut talis Author, fuit objectum specialis, imò majoris DEI complacentiæ, & quidem insistendo Revelationi, quam defacto accepimus, ut dicetur in Sectione sequente. Ergo & Christus quoad se atque ut talis Author priùs vel magìs intentus est.

CLXXXV. Alterum celebre testimonium petitur ex c. 9. Matthæi: *Non enim veni*, ait ibidem Christus, *vocare justos, sed peccatores*; & iterum: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus*. Respondeo inprimis S. Chrysostomum Hom. 31. in Matth. hoc exponere in sensu figurato, ac si dixisset Christus: Non veni vocare vos Pharisæos, & Scribas, qui justificatis vosmetipsos, atque vobis persuadetis, quasi non indigeretis Medico. Deinde S. Lucas, eadem verba Christi referens, statim addit hæc alia: *ad pœnitentiam*. Quis verò ambigat, hoc vocationis genus ita limitatum haud spectare ad Adamum in statu Innocentiæ perseverantem? Cæterùm & diversa duo interim Adversarijs oppono. Christus non venit vocare justos, sed peccatores. Ergo simpliciter non venit vocare Sanctissimam suam Matrem, quam ab omni peccato tam originali, quàm actuali immunem ostendimus Part. 1. Strom. per tot. Rursus. Non est opus valentibus Medico. Ergo Christus non fuit perfectus, imò perfectior respectivè Medicus, præservando tantùm eandem suam Sanctissimam Matrem à peccato, qualem utramque sequelam ibidem latè refutavi. Addo, ipsúmmet Christum sufficienter restrinxisse suum sermonem, ubi se compellavit *Medicum*, qualis vulgò haud

cen-

censetur necessarius, nisi, postquam morbi ingruerunt, ergo &c.

CLXXXVI. Tertium, ac negativâ denuò appendice affectum testimonium occurrit Joan. 3. *Non enim misit DEUS Filium suum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum.* Respondeo, probatas hujus textûs analyses nobis haud obstare, imò prodesse. Prima est Vatabli: *ut salutem consequatur Mundus per ipsum*; altera Ruperti, *ut Mundus agat ea, quæ salutis æternæ sunt*; tertia S. Augustini, *ne penes DEUM sit perditio Mundi.* Ex his verò apparet eam vim non inesse voci *salvetur*, quam Adversarij vellent, nempe quoad salutem, quasi ex morte peccati redivivam; Nam æternæ felicitatis ingens negotium, cooperante etiam humanâ voluntate conficiendum, utique Adamo pro omni statu incubuisset. Insuper retorsio recurrit in salute à Christo impensâ Sanctissimæ suæ Matri, quæ neque morti, nec debito proximo hujus mortis peccati obnoxia fuit secundùm probata à nobis Part. 1. Strom. cit. Accedit, quòd Christus potuisset eundem sermonem cum proprietate usurpare, etiam veniendo intra statum conservatæ Innocentiæ; nimirum differendo actum præcipuum Judicis, qui est solennis declaratio accusati, tanquam innocentis vel tanquam rei, usque ad illud tempus, quod condemnandis saltem rebellibus Angelis destinatum fuisset, ut insinuat Apostolus 1. Cor. 6. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quantò magis secularia?* quamquam & homines in casu etiam Adami non peccantis committere potuissent peccata personalia, ut docet Eximius Disp. 3. de Sacram. Pœnit. sect. 3. ac propterea iidem judicari potuissent à Christo in secundo hujus adventu. Pluribus supersedeo. Quid enim censendum de testimoniis, quæ vi enuntiationis exclusiva non sunt, si etiam illa, quæ particulis negantibus affecta, causam non evincant? Jam complanatâ & hac alterâ viâ, tutò ad metas procurrimus.

SECTIO III.

Adstruitur Primatus Christi in ordine Decretorum DEI virtualiter divisibilium.

CLXXXVII. PRæsentis Arenæ nondum est, vel eam Sententiam pro suo pondere ad trutinam revocare, quæ actus DEI liberos docet illi adæquatè intrinsecos. Visa illa hucusque veritatem magis attingere, atque hîc supponenda est, ad gravissimam, quæ in manibus versatur, Controversiam componendam. Similiter ex prima Parte hîc supponendum, quod pro dignitate tam subtilis Difficultatis nunc suis numeris absolvere,

vel

vel publico exponere, hæ paginæ non permittunt, quòd eædem Terminationes intrinsecæ Voluntatis Divinæ sint distinctæ virtualiter à Naturâ Divinâ propter certam *distinctionem in tertio*, ut Patroni hujus opinionis loquuntur, sicut v.g. volitio Mundi, quam actu habet DEUS, distinguitur virtualiter à Naturâ Divinâ propter *tertium*, quale dicitur *nolitio Mundi*; hæc enim poterat antecedenter identificari cum DEO, non verò cum Terminatione quà tali ipsius volitionis Mundi. Porrò ex eodem fundamento ab his Patronis asseritur, quòd etiam ipsa Decreta Divina saltem aliqua distinguantur virtualiter inter se, in quantum v.g. Decretum indifferenter applicativum Omnipotentiæ Divinæ, quod actu datur, poterat etiam consistere cum Decreto prædefinitivo Obedientiæ Adami quoad illud Præceptum: *De ligno autem Scientiæ boni & mali ne comedas* Gen. 2. quamvis ista Prædefinitio non potuerit consistere cum Decreto permissivo inobedientiæ Adami respectu ejusdem Præcepti, quod tamen secundum Decretum actu consistebat cum Decreto indifferenter applicativo Omnipotentiæ Divinæ; & similis fit discursus circa idem Decretum indifferens, ut comparatum ad Decretum prædestinativum Adami, quorum prius, non autem alterum poterat consistere cum Decreto reprobativo ejusdem Adami; ubi statim se exhibebit ea, quam memoravimus, *distinctio in tertio*, quod nunc quidem non sit, at potuisset antecedenter esse, & ob hanc rationem inducat *oppositionem impedientis ac impediti* respectivè ad Terminationes, quarum una excludit alteram ab identitate simultaneâ cum Naturâ Divinâ, ut denuò illi Patroni pronuntiant, & causam suæ Sententiæ tum ex Perfectione Libertatis Divinæ, tum ex ipsâ constitutione creatæ Libertatis indifferentiæ desumunt &c.

CLXXXVIII. Advertendum insuper, quòd in eodem Systemate Decretorum DEI virtualiter divisibilium per *signum prius* vel *posterius* ibidem non intelligantur effectus, ex quibus nobis innotescit Voluntas DEI, quemadmodum dicuntur se habere *Præceptum, Prohibitio, Consilium* &c. nec etiam distinctio illa cadit supra sola objecta volita, id, quod tradit Joan. à S. Thoma Disp. 3. de Incarn. a. 1. sed importat tum ipsas Terminationes Decretorum, ut virtualiter inter se distinctas, tum certam habitudinem unius Terminationis ad alteram, vi cujus una Terminatio juxta memoratos Authores quasi dependet ab altera Terminatione non ita dependente, sicut v.g. *condemnatio ad pœnas Inferni* dicitur sic dependere à *Permissione certi peccati*, licèt hæc non ita respiciat prius Decretum, cùm obligatio peccatoris ad sustinendam illam pœnam remitti à DEO potuisset; vel ea habitudo provenit, in quantum aliunde una Terminatio adfuisset in DEO, quamvis Terminatione alterâ absente secundùm placitum Divinæ Voluntatis certas conditiones vel terminos apponentis

tis &c. Atque ex hac Decretorum vel connexione inter se, aut quasi dependentiâ, procedit ille ordo Signorum quoad *prioritatem* & *posterioritatem* in Decretis DEI virtualiter divisibilibus, ut latè prosequitur Clarissimus P. Gormaz Tom. 1. Curs. Theol. Tract. 1. Disp. 15. & 18. adscribens etiam hanc Sententiam Angelico 1. p. q. 19. a. 6, ad 1. ita loquenti: *Potest dici, quòd Judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter DEUS antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundùm exigentiam suæ Justitiæ*; & infra: *Sic patet, quòd quidquid DEUS simpliciter vult, fit, licèt illud, quod antecedenter vult, non fiat.* Sed an ex hac Voluntate DEI *antecedente* & *consequente* ritè inferatur controversa Divisibilitas virtualis Decretorum, ac ut insuper ab ipso Aquinate tradita, modò non vacat disputare.

CLXXXIX. Jam verò præsentis Sectionis Titulus bifariam intelligi potest, nempe vel in eo sensu, quòd DEUS quidem in primo signo suorum Decretorum virtualiter divisibilium prædefiniverit Christum, sed hunc simul efficaciter præordinando, *quà Redemptorem*; vel idem titulus accipi potest in hoc frequentiore sensu, nimirum, quòd Christus consideratus *quoad Substantiam*, seu ut volitus propter excellentiam Mysterij Incarnationis, & quidem hanc quatenus à peccato adhuc independentem, verè Primatum obtinuerit in Voluntate Divina liberè decernente? Quod priorem sensum attinet, jam illum refutavit Eminentissimus Card. Sfortia Pallavicinus L. 5. de Incarnat. c. 9. cujus argumentum in hanc formam concinnamus. Qui vult medium remotum propter aliquem finem, ad quem illud medium non conducit, nisi per medium proximum, debet velle etiam ipsum medium proximum, utpote sine quo medium illud remotum foret inutile. Sic enim volens e. g. sumere potionem ad recuperandam sanitatem, magis intendit purgationem humorum, quàm sumptionem potûs medicati, quia hæc sumptio non est idoneum medium ad reparandam valetudinem, nisi ex aptitudine ad purgandos humores; atque simili modo volens efficaciter conducere equum, ut proficiscatur Augustam, vult eâdem vel majore efficaciâ conscensum equi, tanquam medium proximius ad iter Augustanum, & sine quo inutilis remaneret conductio equi. Nunc iste fit Discursus. DEUS in illo primo signo prædefiniens absolutè Christum, *quà Redemptorem* simpliciter talem, id est, reparativum peccati, amaret etiam, tanquam medium, ipsam Permissionem peccati, sine quâ locum non habuisset dicta Redemptio reparativa. Ergo pariter amaret peccatum, quod est medium proximius ad obtinendum finem Redemptionis reparativæ, sive, quo peccato mediante primùm utilis redditur ea Permissio ad finem destinatum. Subsumitur. Atqui

hic saltem interpretativus amor Peccati repugnat Sanctitati, quæ à Theologis definiri solet: *Perfecta puritas à peccato*, ac præsertim Divinæ, quæ per essentiam talis est, atque ex infinita sua perfectione omnem inhonestatem excludens; ergo &c. Plura adderem, nisi suppositum, cui innititur valeret hæc sententia, refutatum jam esset in Sectione præcedente, nimirum quòd Christus non venisset absque datâ occasione peccati, seu quòd pro nullo statu comparuisset, quà tantùm Glorificator, sed unicè tam formaliter, quàm arguitivè decretus tantùm sit, ut Redemptor reparativus, quales loquendi formulas in Sectione quintâ elucidabimus. Igitur ad alterum sensum, quem sub initium hujus numeri annotavimus, ita progredimur.

CXC. Dico. Christus in hypothesi Decretorum DEI virtualiter divisibilium habuit Primatum, tanquam intentus in primo signo eorum propter ipsam excellentiam Mysterij Incarnationis. Probo. DEUS in eâdem hypothesi potuit ita intendere Christum. Ergo actu ita intendit. Antecedens nec ab Adversarijs negatur. Quæ enim in hoc contradictio? Probatur itaque Consequentia inprimis Authoritate, utpote necessariâ in tali quæstione facti, quemadmodum & D. Thomas, ubi negat futurum fuisse adventum Christi absque occasione peccati, thesim suam præcipuè, imò unicè commonstrat ex eloquiis S. Scripturæ. Seligamus potissima. Sapient. 8, dicitur de Christo quà tali juxta communem sensum SS. Patrum ac Interpretum: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*, seu ut vertunt Septuaginta: *creavit me initio viarum suarum*. Subsumo. Atqui Dominus non *possedit* Christum, aut sic *creavit* illum secundùm humanitatem à principio quoad rem ipsam, seu actualem existentiam Christi quà talis, cùm Incarnatio evenerit primùm in ultimâ ætate Mundi. Ergo Dominus *ita possedit*, ac *creavit* Christum quoad propositum ac intentionem primam à DEO conceptam; sive Christus fuit in Signo priore ad propositum & intentionem, quâ DEUS quidquam aliud producere voluit ad extra. Transeo ad indicia ejusdem veritatis in novo Testamento contenta. Apostolus ad Coloss. 1. his tam sublimibus elogiis prosequitur Christum: *Imago DEI invisibilis, Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terrâ; visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis*, ac deinde tota hæc panegyris velut in nucleum contrahitur, ubi ea verba subjunguntur: *ut sit in omnibus ipse* Primatum *tenens*, atque hujus ipsius primatûs mox ratio affertur: *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Subsumo iterum. Atqui hic sermo etiam est de Christo, non

tantùm

tantùm quatenus est DEUS, sed etiam quatenus est homo. Ergo etiam quatenus homo habet primatum *principij* in omnibus, ac per consequens etiam fuit objectum primi signi Voluntatis Divinæ liberè volentis. Antecedens probatur ex ijs verbis Apostoli modò recitatis: *Ipse est Caput Corporis Ecclesiæ*. Docent verò communiter Thomistæ, contra quos agimus, solam Gratiam habitualem in Christo esse *Gratiam Capitis*, ut appellatur, quamvis eadem Gratia simul connotet, aut in obliquo importet Gratiam Unionis Hypostaticæ. Ex nostris verò, qui adversantur, passim alibi docent, hanc *Gratiam Capitis* constitui quidem præcipuè ac primariò per eam Gratiam Unionis, sed tamen, ut sit Gratia Capitis etiam suo modo homogenei cum reliquo corpore Ecclesiæ, requiri Gratiam habitualem in Christo. Ergo Christus etiam, quatenus homo, habuit Primatum in ordine Decretorum DEI virtualiter divisibilium. Probatur Consequentia. Nam *Primatus in omnibus* nihil excipit, sed includit *omnia*, quæ aliunde constat, posse attribui Christo, etiam, ut homini. Quis verò neget hunc Primatum, seu quasi possessionem Primi signi Decretorum convenire posse Capiti, si membris? Domino, si servis? Fini post DEUM primo, si medijs? Primogenito, si cæteris Fratribus? Hæredi universorum, si creaturis cohæredibus? Confirmo. Idem Apostolus appellat Christum non modò Caput Ecclesiæ alicujus, sed omnis: *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia*, seu, ut alij legunt, *quoad omnia in omnibus adimpletur*. Ephes. 1. ubi Cornelius ex D. Augustino & alijs comprobat, hîc intelligi *Ecclesiam Angelorum & Hominum, Militantem & Triumphantem*. Subsumo iterum. Sed Christus non esset *Caput omnis Ecclesiæ* & *plenitudo quoad omnia in omnibus*, nisi prædefinitus esset in primo signo Decretorum DEI, ergo &c. Probatur Minor subsumpta. Ad tale enim Caput, ut gaudens eâ universali plenitudine, requiritur etiam, ut ab illo in genere causæ Meritoriæ promanaverit influxus Gratiarum, quæ & Angelis in suâ viâ, atque primis Parentibus ante lapsum concessa est; talis autem influxus non ita salvaretur, nisi Christus illud primum signum in Decretis Divinis obtinuisset, ut statim pandemus, ergo &c.

CXCI. Probatur Conclusio etiam ratione. Talis, tantáque debet statui Gratiarum ubertas, quasi ex fonte Incarnationis Dominicæ promanans, ut Christus etiam possit intelligi Causa meritoria illarum, quas in antecedente numero commemoravimus, Gratiarum tum Angelis in sua via, tum primis Parentibus ante lapsum concessarum, item Immunitatis Magnæ DEI Matris à noxâ originali, atque exemptionis insuper Ejusdem à debito proximo incurrendi hanc noxam, seu ita, ut futura Mater DEI haud includeretur in Pacto, quod DEUS inivit cum Adamo. Sed Christus non po-

test intelligi Causa meritoria earum Gratiarum, Immunitatis, & Exemptionis, nisi fuerit prædefinitus in primo signo Decretorum DEI; ergo &c. Major quoad primam partem traditur ab Eximio Tom. 1. in 3. P. Disp. 42. Sect. 1. affirmante, eandem Sententiam esse Angelici, ubi sic exponit illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, nempe *omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & justi, qui fuerunt, & erunt, & etiam omnes Angeli*, ac idem satis innuit S. Doctor in 3. p. q. 7. a. 9. ubi docet, Christo esse datam Gratiam simpliciter, quia data est illi, ut universali principio in genere habentium, in quo genere sine dubio Angeli comprehenduntur. Neque obest, quòd Aquinas a. 11. sequente tradat, Christo datam esse Gratiam, ut *universali principio Gratificationis in humana natura*, nam hoc, pergit Eximius, exponi potest de principio *in quo*, vel *per quod* Christus est universale principium Gratificationis, non autem de termino, quasi soli humano generi communicaretur ea gratificatio; vel si in hoc secundo loco intelligatur etiam particularis terminus Gratificationis, non proinde negabitur universalis terminus, qui paulò antè à S. Thoma assertus est. Eadem Major quoad secundam partem de primis Parentibus iterum ponitur ab Eximio in Comment. ad 3. p. q. 1. a. 3. ad 5 & probatur ex eo, quia Adamus etiam ante lapsum credidit in Christum, ut in eum, per quem erat beatitudinem consecuturus; ex quo sequitur Adamum etiam credidisse in Christum tanquam Authorem Gratiæ. Non enim ab aliquo speranda est Gloria, qui non sit etiam Author Gratiæ, cùm Gratia nihil aliud sit, quàm semen Gloriæ. Ergo Christus fuit etiam Author Gratiæ collatæ Adamo ante lapsum; ubi rursus non obest, quòd revelatio Incarnationis facta eidem Adamo consecuta primùm sit Justificationem, quam ille in ipso momento suæ creationis jam acceperat; nam cum hoc tamen consistit, quòd idem Adamus se disposuerit ad eam primam justificationem per fidem non quidem explicitam in Christum, sed implicitam, in quantum nempe credidit *in DEUm, ut sufficienter sibi provisurum in his omnibus, quæ suæ saluti necessaria essent*, quod indicat Angelicus Q. 18. de Verit. a. 3. ad 4. Sic verò jam præcessit in Adamo ad justificationem Fides aliqua implicita in Christum, per quem, ut Authorem Gratiæ, DEUS providet omnibus necessaria ad salutem. Præterea hæc doctrina Eximij potest tam quoad Angelos, quàm primos Parentes ostendi ex universalibus illis testimoniis S. Scripturæ, quæ Christum concelebrant, ut fontem *omnis Benedictionis in cælestibus*. ad Ephes. 1. *Fundamentum consummationis Sanctorum in ædificationem Corporis Christi*. ad Eph. 4. *Caput omnis Corporis Ecclesiæ, Primatum in omnibus habentem, Præcedentem ante omnes, & in quo constent omnia*, quæ jam allegavimus hoc & præcedente numero; atque idipsum satis designat

ipse Christus inquiens Joan. 14. *Ego sum via, & veritas, & vita, Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* At Angeli quoque & primi Parentes venerunt tempore suæ Justificationis ad Patrem mediante Gratiâ sanctificante, quæ est participatio aliqua Naturæ Divinæ, filiatio adoptiva, & pignus hæreditatis DEI. Ergo ita venerunt per Christum. Tertia Denique pars ejusdem Majoris ostensa à nobis est in I. parte nostrorum Stromatum per tot. atque hîc sufficiet adduxisse illud Ecclesiæ in oratione quadam Festi Conceptionis, quæ ante Pium V. universaliter recitabatur, hac ad DEUM circa eandem Beatissimæ Virginis Conceptionem loquendi formulâ utentis: *Ex morte Filij tui prævisâ eam ab omni labe præservasti*, ut retuli ibidem n. 12. ac etiam c. 16. ostendere pluribus contendi, in quo sensu intelligenda ea præservatio Magnæ DEI Matris ab omni labe alijs hominibus originaria, item à debito proximo hanc labem contrahendi *ex ipsa Matre Filij ejus prævisâ*, quin tamen interpoletur Systema Decretorum DEI virtualiter divisibilium, vel Primatus Christi quoad signa illorum, ergo &c.

CXCII. Stabilitâ sic Majore Probationis nostræ, ex ratione ductæ, transeundum nunc ad secundam illius Præmissam. Probo. Nisi Christus intelligatur, ut jam decretus pro primo signo Decretorum DEI, tunc neque illius Merita intelliguntur ita posita, ut moveant DEUM ad concedendas Gratias Angelis pro sua via, primis Parentibus ante lapsum, vel ad præservandam Magnam DEI Matrem à dicta labe & proximo hujus debito. Sed non intellectis his Meritis ac istorum vi movendi DEUM ad concedendas tales Gratias Angelis & primis Parentibus, vel ad præservandam Magnam DEI Matrem ab illa labe & debito, neque intelligitur Christus, ut Causa Meritoria earundem Gratiarum ac Præservationis. Ergo &c. Minor constat. Major verò probatur. Nisi Christus intelligatur, ut ita decretus, non intelligitur, *ut existens jam aliunde*, seu, ut intentus & efficaciter volitus gratiâ sui, & propter substantiam Incarnationis exiturum adhuc, quamvis subsequens ordo Decretorum aliter se habuisset; hujusmodi autem *existentia aliunde*, saltem in genere Causæ moralis, requiritur ad ipsam Causam Meritoriam propriè dictam, ut sequentis & huic succesturæ Difficultatis enodatio palàm faciet; vel saltem, si alio etiam modo explanari possit ratio hujus Causæ Meritoriæ, quamvis non admittatur eadem series signorum, quod propediem tentabimus, equidem insistendo eidem Hypothesi Decretorum DEI virtualiter divisibilium, quam hîc supponimus, explicabitur pleniùs ac perfectiùs iste Primatus Christi respectu omnium ac in omnibus, si ille reliqua hæc omnia non tantùm præcesserit ordine Dignitatis, sed etiam prioritatis & causalitatis, primam velut sedem in ipsis quo-

que Decretorum signis obtinens, ergo &c.

CXCIII. Confirmatur Conclusio. Quantumvis sectio tibiæ, supposità hujus læsione, item amara potio; si infirmitas præcesserit, aut actus Virtutis Pænitentiæ, si peccatum commissum sit, intendantur ac suo modo etiam amentur, nihilominus non ita intenduntur & amantur, ac ipsa integritas corporis illæsâ membrorum compage consistens, valetudo pharmacis non indiga, atque peccati expers Innocentia. Ergo similiter, quantumvis Christus fuisset intentus ac etiam propter se amatus in signo Decretorum consequente ipsum signum Permissionis peccati Adæ, non tamen ita fuisset intentus & propter se amatus, ac si ipsa substantia Incarnationis jam fuisset decreta in primo signo Decretorum antecedente intentionem omnium reliquorum, ita ut illius substantiæ actualis positio consecuta esset, quæcunque tandem alia fuissent à Deo prædefinita aut permissa. Saltem Adversarij negare non poterunt, quòd Primatus Christi excrescat, vel potiùs juxta præsentem revelationem à S. Scriptura nobis ministratam debitè extendatur, si statuamus quasi hoc complexum, quòd nempe Christus in primo signo Decretorum fuerit intentus ac amatus propter se, & quoad excellentiam Mysterij Incarnationis, subinde verò secutâ Permissione Peccati Adæ, intenta etiam fuerit Incarnatio in remedium Peccati, atque Christus etiam volitus, ut Redemptor, quamvis vi primi signi Decretorum, & non sequente occasione Peccati, adhuc positus esset, ut Caput & Glorificator humani generis, in quocunque istud statu versatum esset. Age itaque, Insonet rursus ac iterum auribus & Mentibus nostris Divina de Christo Panegyris: *Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Ut sit in omnibus ipse Primatum tenens, ad Coloss.* 1.

CXCIV. Opponitur. Satis est ad salvandos insignes, quos retulimus, Christi Titulos ac Prærogativas, modò ille dicatur esse causa finalis Redemptionis nostræ, tanquam inde recipiens gloriam accidentalem sui Nominis, seu laudem & cultum, ita, ut in eodem Nomine flectatur omne genu ad Phil. 2. quò etiam videtur respexisse Concilium Tridentinum, ubi dixit, *Justificationis causam finalem esse Gloriam DEI & Christi, ac vitam æternam.* Ergo necessitas non est, recurrendi propterea ad eam prioritatem intra signa Decretorum. Confirmatur. Quamvis Medicus, quà talis, sit propter infirmum, ipsa tamen sanitas reddita illi infirmo ordinatur simul ad nominis celebritatem eidem Medico conciliandam ob ipsam scientiam ac medendi peritiam, quam ille sanando ægros manifestat. Ergo reponi etiam potest, allegata S. Scripturæ ac Patrum eloquia ritè sibi cohærere, si nimirum Incarnatio ordinata fuerit ad Redemptionem generis humani, ista verò Redemptio ordinetur ad Christum debitis laudibus prosequendum

juxta illud Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

CXCV. Respondeo N. A. Ratio prima. Sic Christus non remanet causa meritoria justificationis nostræ. Purus enim finis non induit rationem Meriti, ad quod requiritur prioritas naturæ, ut brevì probabitur. Sit ergo, quis negat? finis Redemptionis nostræ gloria accidentalis Christi, sed ipsa simul substantia Incarnationis erit causa moralis inducens DEUM ad dandas Angelis & primis Parentibus Gratias, ut ij omnia in acceptis referant Christo, tanquam Capiti influenti vigorem in membra, Viti derivanti succum in palmites, & Brachio illi, de quo scriptum: *sine me nihil potestis facere.* Joan. 15. Secunda. Hoc ipso, replicabunt Scotistæ, Christus, cujus gloria, ut finis, intenditur, erit ultimum in executione; igitur & primum in intentione, ac idcirco quoad suam substantiam & excellentiam Mysterij occupans primum signum in Decretis Divinis. Tertia. Finis Gloriæ DEI ac Christi, item vitæ æternæ, habuisset locum etiam Adamo non lapso. Ergo Tridentinum non adversatur dicentibus, eundem finem sufficientem fuisse ad submittendum Christum humano generi etiam innocenti. Quarta, ut alias rationes prætercam, Tridentinum ibidem docet, *Causam meritoriam Justificationis nostræ esse Christum, qui propter nimiam charitatem, quà dilexit nos, justificationem meruit* &c. ubi ly *nimiam* designat maximam. Quamvis verò major forsitan eluceat charitas in dilectione inimici, quàm amici, nihilominus præparatio ad diligendum alterum, sive amicus manserit, sive mutatus in inimicum, major est charitas, quia plus extensa, & nullo tempore remittens. Ergo hæc charitas Christi præstitisset influxum suorum Meritorum humano generi in quocunque statu constituto, qualis ipse tam universalis influxus non intelligitur, nisi Christus etiam primas obtinuerit intra *propositum Voluntatis DEI.* Ergo &c.

CXCVI. Ad Confirmationem respondeo, assumendo Paritatem. Majore nominis famâ potiretur ille Medicus, qui ob scientiam ac dexteritatem suam paratam ad omnes morbos curandos, si qui ingruerent, interim simul, quantum ex ipso est, præservare posset clientes suos, ne infirmitate corriperentur, ac si quæ fors sinistra accidat, eos in integrum restituere. Ergo & major erit exaltatio Christi, si hic dicatur, ut intentus in primo signo Decretorum, potuisse ob infinitum valorem suorum Meritorum avertere omnem infelicitatem à creaturis rationalibus, vel si hæ ultrò miseræ esse vellent, ijsdem denuò salutem reddere. Directè T. A. & N. Conseq. Disparitas est, quia nihil obstat, quin dicamus, Famam illam Medici esse finem duntaxat secundarium valetudinis per applicata pharmaca restitutæ; nam si duo sint fines, quorum unus subordinetur

netur alteri, tunc proximus, non autem remotus, induit naturam causæ finalis simpliciter dictæ, ac eapropter in opposito nobis exemplo infirmus est finis simpliciter dictus ipsius valetudinis. An idem dici poterit de Incarnatione, quòd hæc nimirum proximè ordinetur ad salvandos homines, ac remotè tantùm ad gloriam Christi? Ergo & salus hominum erit finis Incarnationis, simpliciter loquendo. Sed ubi ita, perquiro rursus, ille Primatus, quem stabilivimus, in Voluntate Divinâ intendente & amante Christum propter se juxta illud à nobis expensum ac denuò repetendum: *Ut sit in omnibus ipse Primatum tenens, quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare.* ad Coloss. 1.

CXCVII. Cæterùm expectabit hîc fortè quispiam, ut etiam totam seriem horum signorum, quæ in Hypothesi Decretorum DEI virtualiter divisibilium se offerunt, exactè proponamus. Sed ea cohæret cum alijs Principijs, quæ vel hîc deducere nondum licet, nempe circa Prædestinationem Sanctorum, vel alibi à nobis posita jam sunt, ut circa immunitatem Magnæ DEI Matris à debito etiam proximo contrahendi labem originalē, sicut annotavimus n. 171. Clarissimus P. Gormaz in Tract. de Incarn. Disp. 9. assignat tria signa. Primum continet ea, *quæ ad Christum attinent, ante signum Adami.* Secundum, *quæ decreta sunt circa Adamum.* Tertium, *quæ post signum Adami decreta sunt*, quamvis & hæc signa in alia rursus subdividi possent. Nostri hîc muneris fuit, Christum, ut efficaciter intentum à DEO propter substantiam & excellentiam Mysterij Incarnationis, collocare in primo signo, ita ut vi istius poneretur Incarnatio, quamvis subinde consecuta non esset occasio peccati Adæ, qui ita prolapsus misericordem ac potentem manum Redemptoris deposceret &c. Redibit tamen sermo de hisce Decretorum signis, ubi vim impetratoriam, ut vocatur, Meritorum Christi speculabimur.

* * *

SECTIO IV.

Excipitur in eodem Systemate Decretorum DEI virtualiter divisibilium contra Scotistas, quòd Redemptio Generis humani non fuerit causa finalis solius circumstantiæ Passibilitatis Christi.

CXCVIII. NE Thomistarum alicui videamur, etiam in illo Subtilis Scholæ placitum arripere, quod ij acriter insectantur, nimirum quòd

quòd ipsa substantia Incarnationis ita fuerit motivum DEO ad ponendum Christum, ut deinde Redemptio Generis humani remaneret causa finalis solius Passibilitatis Christi, seu Incarnationis, ut tantùm quoad talem circumstantiam accidentalem considerata, idcirco necesse fuit, exceptionem hîc palam facere, & quòd ea justa sit, ostendere; quamquam testis sit Mastrius Disp. cit. a. 4. Recentiores Scotistas admittere, quòd Redemptio fuerit causa finalis Incarnationis secundùm utramque rationem, nempe tam quoad substantiam, quàm quoad modum & circumstantiam Passibilitatis. Porrò duplex est Impassibilitas. Alia dicitur radicalis & remota, atque hæc est proprietas naturæ humanæ consistens in ipsa capacitate dolendi ex occursu qualitatum contrariarum, quæ, dum se mutuò alterant & refringunt, propter hujusmodi pugnam dolore afficiunt subjectum earundem qualitatum, nisi scilicèt donum Impassibilitatis, ut vocatur, præverat luctam ita affligentem. Altera verò Passibilitas est formalis, seu capacitas proxima ita dolendi, ac importans carentiam ipsius doni Impassibilitatis. Jam verò de prima Passibilitate non potest institui controversia; nam Christus fuit DEUS simul & homo, ac per consequens neque destitutus ullâ tali proprietate naturæ humanæ, ut abundè commonstravimus in I. Difficultate. De secunda verò Passibilitate quæri potest, an ea sic intenta sit propter Redemptionem Generis humani, ut simul ad hunc finem haud fuerit ordinata ipsa substantia Incarnationis, sed in ordine ad eundem finem præcisè destinata sit dicta circumstantia Passibilitatis; id, quod vel ipse Christus insinuâsse videri posset, ubi post gloriosam suam Transfigurationem in monte Thabor disseruit cum Apostolis de sua Passione ac Morte, ijsdem simul prohibens, *ne cuiquam*, *quæ vidissent*, *narrarent*, *nisi cùm Filius Hominis à mortuis resurrexerit*, *Marc.* 9. quasi sic indicans, idcirco intra Passibilitatis proximæ velut ripas conclusam esse Gloriam Animæ Christi, aliàs in corpus quoque redundaturam, ut locus relinqueretur ipsi Redemptioni generis humani,

CXCI. Dico. Redemptio generis humani non fuit causa finalis solius circumstantiæ Passibilitatis Christi, sed etiam ipsius substantiæ Incarnationis, licèt hæc posita fuisset vi primi signi Decretorum, etiamsi peccatum Adæ secutum non esset. Probo Authoritate, quâ utitur Joan. à S. Thomâ Disp. 3. de Incarnat. a. 3. ad probandum, quòd Redemptio fuerit motivum *sine quo non* ipsius Incarnationis, sed meliùs huc facere apparet. Ecclesia canit in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*; ubi ly *propter* designat, quòd causa finalis descensûs Christi de Cœlis fuerit quidem primariò ipsa exaltatio humanæ naturæ in Christo, at simul etiam nostra salus. Intelligitur verò per illum *descensum* ipsa

Incarnatio, ut colligitur ex S. Augustino, qui supra ea verba Joan.3. *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis, qui est in Cælo*, ita commentatur: *Ecce hic erat, & in cælo erat. Hic erat carne, in Cælo erat Divinitate, imò ubique Divinitate. Natus de Matre, non recedens à Patre. Duæ Nativitates Christi intelliguntur, una Divina, altera humana. Una, per quam efficeremur, altera, per quam reficeremur*, ac post intervallum: *Eja, Fratres, DEUS voluit esse filius hominis, & homines voluit esse filios DEI. Ipse descendit propter nos, nos ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit & ascendit, qui hoc ait: Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo &c.* Tract.12. in Joan. Probo & ratione. Incarnatio Dominica fuit intenta ad satisfaciendum condignè pro reo humano genere. Ergo Redemptio non fuit causa finalis solius circumstantiæ Passibilitatis Christi, sed etiam ipsius substantiæ ejusdem Mysterij Incarnationis. Antecedens tum constat ex Authoritate priùs allegatâ, tum elucescit ex illo Apostoli ad Hebr.10. ubi de Christo dicitur: *Ingrediens Mundum*, nempe per suam Incarnationem, dicit: *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi*, quod tibi, ô Pater, in Sacrificium pro peccato offeram; quare dixi & dico: *ecce venio*! ecce ego, en adsum, præsto sum, ut faciam voluntatem tuam DEUS, ut scilicet me pro peccatis victimam offeram, quâ homines tibi reconciliem. Ita SS. Patrum mentem accuratè explorans ac fideliter referens Cornelius noster in c. cit. ad Hebr. Probatur itaque Consequentia. Ipsa condignitas Satisfactionis pro reo humano genere non potest haberi absque substantia Incarnationis, seu Dignitate infinitâ Personæ Verbi quasi informante illam Satisfactionem, ut suprà latè diximus; quò etiam respexisse videtur S. Augustinus Tract.7. in Joan. dicens: *Hujus Agni Sanguine solo homines redimi potuerunt. Pretiũ nostrũ Sanguis est Agni; per quem factus est Mundus*, ubi condignitas hujus pretij refunditur in dignitatem, quam diximus, Infinitã Verbi. Ergo si Incarnatio fuit intenta ad satisfaciendum condignè pro reo humano genere, tunc etiam Redemptio hominum non fuit causa finalis solius circumstantiæ Passibilitatis Christi, sed etiam substantiæ ejusdem Mysterij Incarnationis. Confirmatur à pari. Si Medicus quispiam decerneret invisere suum amicum, hujus ipsius benevolæ necessitudinis fovendæ, & amicum rursus contuendi, ac alloquendi gratiâ, postmodum verò ad aures illius Medici perveniret, eundem amicum ægrotare, adhuc posset iter suscipere propter hunc alterum sufficientem finem, nempe ad sanandum eum ægrotum, ut ampliùs dicemus in proximâ Sectione. Ergo quamvis DEUS intenderit in primo signo Decretorum substantiam Incarnationis, potuit tamen in alio signo posteriore ad prævisionem absolutam pec-

cati

cati Adæ eandem inſuper Incarnationem ordinare ad redimendum genus humanum. Quæ enim in hoc nova & ſingularis difficultas?

CC. Opponunt primò. Qui eſt cauſa velocitatis motûs in altero, eſt etiam cauſa motûs in illo ſimpliciter. Item, qui eſt cauſa, ut alter veniat certo veſtimenti genere indutus, eſt etiam cauſa, ut alter veniat ſimpliciter. Ergo ſimiliter ex eo, quòd Redemptio hominum intelligatur cauſa finalis, quare Chriſtus venerit, ut paſſibilis, intelligitur etiam, quòd Redemptio fuerit cauſa finalis, ob quam Chriſtus venerit ſimpliciter.

CCI. Reſpondeo, interim tranſmittendo Antecedens, & negando Conſequentiam. Diſparitas eſt, quia licèt paſſibilitas non poſſit intelligi abſque aliquo ſubjecto illius, nondum tamen infert Principium condignè ſatisfaciens per Paſſionem, quam in ſe ſuſcipit; vel ſi Adverſarij accipiant paſſibilitatem, ut eſt intra concretum Satisfactionis condignæ in actu primo, jam includetur conſtitutivè etiam ipſa ſubſtantia Incarnationis. Igitur & DEUS intendendo paſſibilitatem ita ſpectatam, vel potiùs concretum Satisfactionis condignæ in ordine ad redimendos homines, jam in eodem Signo Decretorum ordinavit inſuper dictam ſubſtantiam ad finem Redemptionis. Sed neque Antecedens univerſaliter tenet. Sic enim viator, qui greſſum accelerat, dum *ruit arduus Æther, & pluviâ ingenti ſata læta, boúmque labores diluit*, non intelligitur propterea peregrinari ſimpliciter; item Belli Dux, qui ſuaſu amici thoracem ferreum ſibi circumdat, non intelligitur propterea deſcendere in aciem ſimpliciter. Sed priora abundè.

CCII. Opponunt ſecundò. Quamvis non dedeceat Monarcham, adire ædes ſui ſubditi, & huic cibos de menſa regia ſubmittere, quando idem ſubditus ægrotat, non tamen deceret ea facere, quando ſubditus valet; ac ideò celebratur Macedonum Rex Alexander, ubi *vulnus Lyſimachi diademate à capite ſublato obligavit*. Sabel. l. 7. En. 4. ex Plut. non tamen ita laudandus, ſi Lyſimacho ſano diadema impoſuiſſet. Ergo decebit quidem, quòd DEUS ordinaverit ad Redemptionem hominum ipſam circumſtantiam, non verò ſubſtantiam Incarnationis. Probatur Conſequentia. Ideò in caſu Antecedentis unum decet, & alterum dedecet, quia prius velut ſubordinat ſolum id, quod commune eſt Monarchæ cum ſubdito, nempe mortalitatem nihil humani à ſe alienum meritò reputantem, alterum verò ſubordinaret ipſam Majeſtatem, quà talem. Sed proportionalis ratio etiam contra nos inſurgit, ergo &c. Probatur Minor. Nam & hîc DEUS ordinaret ipſam Majeſtatem Divino-Humanam ad lytrum pro captivitate noſtrâ pendendum, cùm tamen ordinando ſolam paſſibilitatem ad redemptionem hominum impenderet tantùm, quod nobis commune

dignatus est assumere, nempe capacitatem proximam dolendi, ergo &c.

CCIII. Respondeo, transmittendo Antecedens, nam si talis Monarcha intenderet speciali benevolentia prosequi illum subditum, cur non de hoc quoque dici posset: *secutus est eum cibus regius?* 2. Reg. 11. Item si decere posset, adoptare eundem subditum in filium Regis, cur non & illum invisere, si aliunde regia dignitas non evilesceret? Sed Nego Consequentiam. Disparitas est, quia accedente nobis solâ passibilitate non essemus plenè recreati, seu nisi simul DEUS Homo *nos visitâsset & fecisset Redemptionem*, Luc. 2. vel nisi *panis vivus descendisset de Cælo*, Joan. 6. unde corpori Christi, velut membra adaptati, *viveremus DEO de DEO*, ut commentatur S. August. Tract. 27. in Joan. verbo, nisi dicere licuisset altissimum illud: *DEUS pro nobis patitur*. Lysimacho autem oppono militem, quem torpentem idem Alexander in regiâ suâ sellâ jussit considere, ac ita misero saulcem attulit. Curt. l. 8. At neque nobis parta fuisset salus, nisi natura etiam humana elevata esset in Christo ad unionem cum Persona Verbi, quod idem est, ac ipsam substantiam Incarnationis debuisse etiam ordinari ad nostram Redemptionem, siquidem hanc DEUS, ut condignam, requisiverit. Cæterùm, quod de Christo transfigurato insinuatum est n. 190. longam moram non exposcit. Christus, inquiunt, non venisset, ut passibilis proximè, si Adamus non peccâsset. Ergo ad Redemptionem à peccato ordinata fuit sola circumstantia Passibilitatis proximæ. Ita, concedo Antecedens. At Nego Consequentiam, & retorqueo argumentum. Adamo non peccante, Incarnatio tamen data esset etiam ob motivum dilectionis erga homines non accepta tantùm quoad circumstantiam Impassibilitatis, sed etiam quoad suam substantiam, ut brevì asseretur. Ergo & Adamo peccante Incarnatio data fuit ob motivum Redemptionis, non accepta tantùm quoad circumstantiam Passibilitatis, sed etiam quoad suam substantiam. Nunc standum promissis, quæ dedimus in Antecedente.

SECTIO V.

Indagatur Primatus Christi etiam in Hypothesi Decreti Divini virtualiter indivisibilis.

CCIV. Displicet P. Molinæ prius Systema Decretorum Dei virtualiter divisibilium, ac idcirco Tom. 1. in 1. p. q. 23. a. 4. & 5. Disp. 1. memb. 7. ait: *Sanè exterminanda omnino videntur instantia Scoti & aliorum, in*

in quibus in statuendâ Incarnatione, prædestinando Christo cum cæteris Beatis, aut reprobandis cæteris hominibus, DEUS unum voluerit ante aliud, aut per Scientiam liberam præviderit unum ante aliud; quæ certè instantia adeò obscuram reddunt quæstionem hanc, ut vix aut ne vix quidem intelligi queat &c. Neque magis placet P. Martino de Esparza l. 9. de Myst. Incarnat. q. 15. a. 14. ita concludenti: *Qui operandi modus*, nimirum absque instantibus Scoti, *uti est procul dubio decentissimus DEO, & quem ex ipsa terminorum apprehensione pronus & plenus sponte subsequatur assensus solidâ pietate suffultus eximente DEUM à modo & imperfectionibus nostræ tenuitatis ac limitationis, ita est constantissimè retinendus adversus metaphysicas nonnullas difficultates occurrentes in exactâ Divina circa res singulas Providentia expositione*; ac inferiùs: *Quare pro Mysterio Incarnationis, omnibúsque ejus motivis & effectibus in communi, & particulari, unicum à fortiori admittendum est Decretum absque ullâ multiplicitate, & distinctione, prioritate, & posterioritate virtuali intrinsecâ formalitatum.* Procul itaque hæc Signa Signis superaddita; velut si quis Horoscopum erecturus, Planetas in suas Domos dispesceret. Parciùs ista. Sed quid? num eapropter tollenda manus à tabulâ, cùm nostrum hîc non sit, tantas lites componere? Quinimò indagandus Primatus Christi etiam in Hypothesi Decreti Divini virtualiter indivisibilis. Ad opus.

CCV. Dico primò. Quamvis Deus in Systemate Decretorum DEI virtualiter divisibilium venisset, etiam non datâ occasione peccati, ex vi primi signi ut formaliter talis, eorundem Decretorum, nihilominus in Hypothesi Decreti Divini virtualiter indivisibilis non venisset ex vi præsentis Decreti, ut formaliter talis. Conclusio quoad priorem partem constat ex disputatis in Sectione tertia. Nam in eo primo Signo Decretorum intenta fuit Incarnatio propter excellentiam hujus Mysterij, & exaltationem essentialem naturæ humanæ per unionem cum DEO in Persona Verbi, atque alios fines adhuc independentes à peccato, vel tantùm conditionatè cum hoc connexos. Nulla igitur ratio est, quare contenta in illo primo Signo consistere non potuissent, licèt subsequens ordo Signorum aliter se habuisset; sive si prævisio absoluta peccati non successisset; quoad alteram verò partem indicatur ab eximio promotore Indivisibilitatis virtualis Decretorum P. Esparza his verbis: *Fines Mysterij Incarnationis de facto intenti efficaciter à DEO sunt quidem invicem inseparabiles extrinsecè, ut subsunt tali intentioni Divinæ; sunt tamen separabiles absolutè, quantum est ex sua natura; quia potuerunt terminare aliam DEI intentionem indivisim prosecutivam unius & exclusivam alterius.* Q. cit. ad 1. Sed probo. In eventu Adami non peccantis, repugnat venire Christum, ut satisfaciat DEO pro eo peccato, quod tamen non daretur.

Ergo neque tunc veniret ex vi præsentis Decreti, ut formaliter talis. Probatur Consequentia. Nam præsens Decretum intendit etiam absolutè satisfactionem pro peccato, quam tamen pro illo eventu ita intendere non posset, sed potiùs excluderet talem intentionem absolutam, hoc ipso, quòd tunc Decretum illud indivisibile complexum etiam esset prædefinitionem perseverantiæ Adami in originaria sua innocentia. Res clara est, neque plus hîc per Decretum, ut formaliter manens, vel non manens, intelligitur, ergo &c.

CCVI. Dico secundò. In eadem tamen Hypothesi Decreti Divini virtualiter indivisibilis venisset Christus, etiam absque occasione peccati, ex vi ejusdem Decreti arguitivè talis; quem modum loquendi ipsa probatio Conclusionis statim manifestam faciet. Probo igitur. Præsens Decretum virtualiter indivisibile, ut supponitur, exhibet duplicem finem Incarnationis, nempe & ipsam substantiam illius ac simul Redemptionem, ita tamen, ut ex eodem Decreto, ita virtualiter indivisim tendente in eum duplicem finem, nihilominus ritè arguatur, Christum venturum fuisse etiam pro statu diviso ab occasione peccati. Ergo in memoratâ Hypothesi venisset Christus, etiam absque occasione peccati, ex vi ejusdem Decreti arguitivè talis. Consequentiam nón negabit, cui termini pateant. Ad probandum verò Antecedens ne metaphysicas, hortor, Demonstrationes exspectes, *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Rom. 11. Revelationis pedissequa sit ratio, oportet, ac *investigabiles vias Domini*, non nisi hoc ipso edocente & monstrante, quantùm propiùs licèt, scrutetur. Ita procedo. Tale dicendum est fuisse illud Decretum efficaciter intendens Incarnationem, quod Christo per eam intento foret gloriosius, ac insuper magis manifestaret dilectionem DEI erga homines. Atqui Decretum ita gloriosius Christo, atque magis manifestans illam dilectionem est Decretum, ex quo ritè arguatur illa futuritio Christi etiam pro statu diviso ab occasione peccati, ergo &c. Major nitida est; haud enim argumentum ducitur à gloria Christi, vel à dilectione hominum, quæ intendi potuerit, sed quæ juxta præsentem Revelationem in Sacris Literis declaratam actu intenta sit; intentam autem fuisse hanc majorem Christi Gloriam, quanta absque absurdo aliunde emanaturo illi attribui potest, ostenditur ex eo ipso *Primatu* Christi *in omnibus*, quem à nobis repetitum Apostolus asseruit; hic verò Primatus decresceret, si Christus fuisset quidem Bonum appetibile etiam independenter ab occasione peccati, sed actu non fuisset ita amatum, ut arguitivè ex vi præsentis Decreti exiturum esset etiam pro statu diviso ab illa occasione, cùm tamen bonum adeò inferius, seu propagatio reliquorum hominum actu fuerit ita intenta, ut ex vi præsentis Decreti arguatur, Divinam Providentiam etiam

etiam tunc prospecturam muliplicando humano generi, ut disseruimus ex mente Angelici n. 182. Eadem Major quoad dilectionem DEI erga homines elicitur ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam DEUS in nobis; quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro omnibus mortuus est, multò igitur magis nunc justificati per sanguinem illius, salvi erimus ab irâ in ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus, multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius*; ex quo apparet, DEUM *commendrre charitatem in nobis*, vel, ut Syrus vertit, *erga nos*, dum hominibus dat novum titulum *gloriandi in DEO*, sicut Apostolus v. sequente indicat, in quantum & peccatoribus & justificatis per Christum providet; atque confirmatur ex illa emphatica particula Joan. 3. *Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Sic* exponit Cornelius, id est, *tantâ amoris vehementiâ, excessu* &c. Probo & Minorem. Illud Decretum est gloriosius Christo, & magis manifestans dilectionem DEI erga homines, quod continet talem modum tendendi, ex quo arguatur futurus Primatus Christi in omnibus, & secutura exaltatio humanæ naturæ, licèt occasio peccati non daretur. Atqui Decretum continens talem modum tendendi est simul illud, ex quo ritè arguatur dicta futuritio Christi etiam pro statu diviso ab occasione peccati, ergo &c. Minor liquet. Major verò ostenditur à paritate, quam suppeditat S. Thomas 3. p. q. 1. a. 4. ubi perquirendo, utrùm principaliùs Christi Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale, ibidem ita concludit: *Tantò principaliùs ad alicujus peccati deletionem Christus venit, quantò illud peccatum majus est. Dicitur autem aliquid majus dupliciter, Uno modo intensivè, sicut est major albedo, quæ est intensior. Et per hunc modum majus est peccatum actuale, quàm originale, quia plus habet de ratione voluntarij. Alio modo dicitur aliquid majus extensivè, sicut dicitur major albedo, quæ est in majori superficie. Et hoc modo peccatum originale, per quod totum genus humanum inficitur, est majus quolibet peccato actuali, quod est proprium singularis personæ. Et quantum ad hoc Christus principaliùs venit ad tollendum originale peccatum, in quantum bonum gentis divinius & eminentius est, quàm bonum unius, ut dicitur 1. Ethicorum.* Modò ex recitatâ doctrinâ sic argumentor. Peccatum originale est majus peccato actuali, quia illud est magis extensum & ad plures pertinens. Ergo etiam gloria & dilectio erit major, quæ est magis extensa, & ad plures pertinens, vel in unum quidem immediatè collimans, sed illum ipsum quasi æquivalenter multiplicem, ratione statûs & circumstantiarum, quibus, licèt aliter se habituris, nihilominus ea gloria & dilectio reipsâ con-

secuta esset. Subsumo. Atqui hoc modo illud Decretum est gloriosius Christo, & magis manifestans dilectionem DEI erga homines, ex quo argui possit Primatus Christi in omnibus, & secutura Exaltatio humanæ naturæ, quamvis non datâ occasione peccati, ergo &c. Probatur Minor subsumpta. Nam stante Decreto sic arguitivè se habente etiam gloria Christi & dilectio DEI erga homines esset simili modo extensivè major, in quantum pro omni statu creaturarum rationalium introductus esset Christus, tanquam primogenitus in orbem terræ cum dicto: *Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Hebr. 1. atque ibidem homines *misissent coronas suas ante thronum* illius. Apoc. 4. neque aliqua Ecclesia data unquam esset, quæ non comprehenderetur sub eo generali dicto: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam* Eph. 1. Dilectio autem DEI erga homines, quam diximus, esset extensivè major, donando omnia in Christo naturæ humanæ tam pro statu conservatæ Innocentiæ, quàm lapsûs in peccatum. Sanè Adversarij, ut videtur, deberent paulò magis meminisse prioris, quem commemoravimus, Innocentiæ statûs, quinimo sic conformes essent sensui Apostoli, qui ad Rom. 11. hæc infert de Israëlitis: *Si delictum illorum divitiæ sunt Mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium, quantò magis plenitudo eorum?* Nunquid & simili discursu subnectere licebit? Si delictum humani generis occasio fuit, ut nobis dispergerentur *divitiæ Gratiæ, divitiæ Gloriæ, divitiæ plenitudinis Christi,* quantò magis hisce divitiis potita esset hominum in statu Innocentiæ perseverantia? Id saltem negari non posse apparet, præparationem illam ad mittendum Christum, in quocunque statu homines versaturi essent, nempe vel à miseria simul sublevandi, vel ad majus tantùm dignitatis culmen evehendi, tam cedere in majorem Christi gloriam, quàm dilectionem DEI erga homines ampliùs manifestare, & quidem juxta tenorem Revelationum, quibus defacto acceptis hucusque semper institimus, ergo &c.

CCVII. Contrahimus vela. Nam ad portum, arbitramur, deductum Primatum Christi, etiam in Systemate Decreti Divini virtualiter indivisibilis, qualis nempe hîc prioritas adesse potest. Primò, quia ibidem Christus sic fuit efficaciter intentus, ut ex vi præsentis Decreti arguere liceat, illum quoque adventurum, licèt genus humanum à peccato redimendum non esset. Secundò, quia sic etiam intentus est, ut foret causa Meritoria omnium Gratiarum, quæ creaturis concessa sunt, ut proximè explanabimus. Licebit addere & tertiò, quia Christus principaliùs intentus est propter substantiam Incarnationis, quàm propter alios fines peccatum præsupponentes; nam illa bonum est extensivè majus. Unde si contrariorum eadem ratio, tunc juxta discursum Angelici priore numero attextum,

tum, ficut Christus intentus est principaliùs ad avertendum malum extensivè majus, ita & intentus erit principaliùs ob bonum extensivè majus, quale relucere in substantia Incarnationis secundùm se, antea ostendimus.

CCVIII. Oppones. Repugnat duplex causa efficiens adæquata. Ergo & duplex finis totalis, qui tamen ex hactenus dictis videtur consequi. Respondeo indirectè primò, me negâsse Antecedens universaliter prolatum, ubi docui, Conversionem Eucharisticam verisimiliùs haberi per actionem reproductivam Corporis & Sanguinis Christi sub accidentibus panis & vini &c. Secundò. Igitur neque potuit natura intendere organum Linguæ humanæ ad loquelam & sensum gustûs, tanquam ejusmodi duos fines, quorum alteruter sufficeret ad ponendum idem organum? vel neque Medicus ægroto aliàs amicitiâ junctus hunc poterit invisere, ut idem accessus simul intendatur, tanquam morbi levamen, & amicitiæ tessera? Tertiò. Igitur rursus nec absolutè poterat Christus ita decerni, ut finis etiam totalis esset, quem ille indicavit Joan. 17. *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam, manifestavi nomen tuum hominibus*, hoc est, manifestatio Attributorum DEI? Quartò. Sed quomodo ita procedet argumentatio Recentiorum aliàs hîc adversantium, qui cum P. Mauro q. 18. de Incarnat. statuunt, *quòd ex vi præsentis Decreti, si darentur sola peccata mortalia actualia, Verbum incarnaretur, etiamsi non daretur peccatum originale?* Directè negatur paritas. Nam duplex actio totalis, inquiunt, est gratiâ solius effectûs producendi, ad hunc verò inutile est complexum geminæ illius actionis. Sed duplex intentio finis deservit ad meliùs operandum, ut in humanis accidit, vel in casu nostro, ut major eluceat propensio erga Christum ac genus humanum. Sed hæc leviora, non tamen dissimulanda. Interea speramus, non displicuisse tibi, Erudite Lector, conatum nostrum in speculando hoc arduo quidem, sed eminente Primatu Christi. Animum fecit, atque ad secuturas etiam Difficultates superandas addet excellens illud Subtilis, & ab assertâ Immaculatâ Conceptione Magnæ DEI Matris celeberrimi Doctoris effatum, quo & Introductionem harum Thesium clausimus, atque præsentem etiam Quæstionem coronamus: *In commendando Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debitâ, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere.* in 3. Dist. 13. q. 3.

Nunquam enim de Christo
amato satis.

* * *

Q CON-

CONCLUSIONES SELECTÆ EX RELIQUO CURSU THEOLOGICO.

I. DEUM existere, demonstratur à posteriori. II. Etiam permisso processu in infinitum. III. Non tamen quasi à priori. IV. Essentia Dei metaphysicè spectata dicit solum prædicatum Aseitatis. V. In DEO præter Scientiam necessariorum & contingentium absolutè futurorum datur etiam Scientia conditionatè futurorum, quam Mediam vocamus. VI. Non est possibilis substantia creata, cui connaturaliter debeatur Visio intuitiva DEI. VII. Intellectus inæquales cum æquali Lumine Gloriæ non sunt principia Visionum inæqualium. VIII. Angelorum existentia ex Fide, non autem ex ratione, nisi probabiliter, constat. IX. Non repugnat creatura essentialiter impeccabilis. X. In hac Providentiâ per se non est possibilis actus in individuo indifferens, bene tamen in specie. XI. Regula proxima directiva Actuum humanorum est ultimum conscientiæ Dictamen, quod potest & debet esse metaphysicè evidens. XII. Voluntas potest inclinare intellectum ad prudenter assentiendum minùs probabili, relictâ probabiliore, etiam tutiore. XIII. In praxi licitè quis potest sequi Sententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore & tutiore. XIV. Quæ tamen debet esse absolutè & comparativè, certò & evidenter probabilis. XV. In Administratione Sacramentorum circa valorem tenetur operans sequi tutiorem. XVI. Peccatum actuale rigorosè est libera transgressio Legis Divinæ. XVII. Differentia specifica consistit in illo prædicato, quod est inadæquata ratio entitativæ dissimilitudinis inter illa intercedentis. XVIII. DEUS influit in omnem actum moralem immediatè, nec tamen fit Author ullius peccati. XIX. Magna DEI Mater in primo instanti suæ Conceptionis habuit Gratiam sanctificantem, & immunitatem à peccato originali, istiúsque debito proximo. XX. Non repugnat in alia Providentia, peccatum remitti per puram condonationem extrinsecam. XXI. Datur Gratia actualis sufficiens & efficax. XXII. Quæ tamen non consistit in Præmotione physica. XXIII. Nec in Decreto condeterminante Scotistico. XXIV. Sed in Scientia Media Gratiæ extrinseca. XXV. Gratia habitualis est metaphysicè incompossibilis cum peccato gravi. XXVI. Habitus Charitatis per se infusus probabiliùs potest physicè influere in actus graviter præceptos. XXVII. Objectum formale Fidei Divinæ, *ut quod*, est sola Authoritas DEI. XXVIII. Revelatio verò non est tantùm conditio,

sed

sed objectum formale, *ut quo*, seu minùs principale. XXIX. Authoritas DEI formaliter consistit in complexo Primæ Veritatis tam in cognoscendo, quàm in loquendo. XXX. Definitio Ecclesiæ non est tantùm approximatio Revelationis prateritæ, sed verum testimonium DEI. XXXI. Possibilis est Species suasiva applicans adæquatum testimonium Divinum. XXXII. Imò probabiliùs de facto datur. XXXIII. Fide Divinâ credibile est, Clementem XI. esse verum & legitimum Pontificem ac S. Petri Successorem, omnibúsque Jure Divino ad verum Christi Vicarium requisitis instructum. XXXIV. Summus Pontifex in decernendis ac definiendis controversiis Fidei & morum tam intra, quàm extra Concilium Generale est infallibilis Authoritatis. XXXV. Dominium plenum est jus in re suâ perfectum. XXXVI. In puncto Venditionis & Donationis datur verum Dominium duorum in solidum. XXXVII. Repugnat verò tale Dominium vel ultra illud instans, aut in ullo alio casu permanenter subsistere. XXXVIII. Magistratus etiam supremus non habet potestatem occidendi pro ullo casu innocentem privatim & publicè talem. XXXIX. Potest tamen Judex saltem inferior condemnare, quem ipse privatim certò novit, esse innocentem, si idem per allegata & probata constituatur reus; & quidem loquendo de causis non tantùm civilibus & criminalibus minoribus, sed etiam majoribus. XL. Clerici Sæculares sunt pleno Jure Domini Reddituum Beneficialium, etiam quoad partem superfluam congruæ sustentationi, cum annexa tamen obligatione erogandi talem partem in Causas pias. XLI. Quæ obligatio oritur ex solo Jure positivo Ecclesiastico. XLII. Quantitas furti ad peccatum grave requisita meliùs statuitur respectiva. XLIII. Intentio Ministri volentis facere saltem, quod facit Ecclesia, non constituit Sacramentum, quamvis hoc, non datâ simili intentione, deficiat. XLIV. Sacramentum Extremæ Unctionis potest per accidens causare primam Gratiam. XLV. Item Venerabile Sacramentum Eucharistiæ. XLVI. Possibilis fuit causalitas physica materiæ & formæ Sacramentalis respectu Gratiæ sanctificantis, saltem per Omnipotentiam Divinam extrinsecè assistentem. XLVII. Non verò habetur sufficiens fundamentum, quòd Sacramenta de facto concurrant physicè ad Gratiam, vel in genere instrumenti intrinsecè, aut etiam extrinsecè elevati. XLVIII. Sunt tamen actu causa moralis Gratiæ, ut contradistincta tam à Principali, quàm à conditione, *sine qua non*. XLIX. Baptismus validè & fictè susceptus revivíscit ad Gratiam conferendam, remoto obice. L. Materia essentialis remota Sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus, ac vinum de vite. Materia verò remota illius ex necessitate Præcepti Ecclesiastici est aqua, quæ in Consecratione Calicis convertitur in Sanguinem Christi, licèt antecedenter non conversa in vinum. LI. Qualibet generalis Virtus voluntatis potest elicere actum Pœnitentiæ Theologicè dictum, atque ab eodem actu denomi-

nari

nari proportionalis Virtus Pœnitentiæ. LII. Non datur in hoc statu Elevationis habitus Pœnitentiæ unicè vel primariò reflexivus supra peccata præterita. LIII. Probabiliùs repugnat Peccatum essentialiter irremissibile, non modò in præsente Providentiâ, LIV. Sed de Potentiâ absolutâ. LV. Non datur per se obligatio statim pœnitendi post commissum peccatum, neque ex titulo Justitiæ, aut Charitatis ergà DEUM, nec etiam ex titulo Charitatis ordinatæ erga seipsum. LVI. Ad Sacramentum Pœnitentiæ non est necessaria Contritio ex motivo Charitatis Theologicæ. LVII. Sed sufficit Attritio generalis ac intrinsecè supernaturalis concepta ex metu gehennæ vel turpitudine peccati. LVIII. Datur obligatio confitendi circumstantias mutantes speciem gravis malitiæ, non tamen circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes. LIX. Peccata strictè seu negativè dubia sunt materia necessaria Confessionis, non tamen latè seu positivè dubia. LX. Tota essentia Absolutionis Sacramentalis clauditur his præcisè verbis:
Absolvo te.

Omnia ad majorem DEI Incarnati Gloriam, & Deiparæ Honorem.

PRODIGIOSA CRUX
CONSTANTINO M. APPARENS,
AC IN TRIUMPHALI EJUSDEM IMPERATORIS
VEXILLO EXPRESSA,
PROTOTYPON
THAUMATURGÆ CRUCIS POLLINGENSIS
SCUTO GENTILITIÆ CRUCIS
Eminent^{mi} ac Rev^{mi} Principis
CAROLI AUGUSTINI FABRONI
S. R. E. CARDINALIS
PROTECTÆ.

EPINICION.

JAmque truci sublimis equo Maxentius ensem
Distringit; densis acies instructa catervis
Pendet ab ore Ducis; millenásque omnia mortes
Intentant tibi, septenis Urbs alta Quirini
Collibus astra petens, & nunquam Fœdere rupto
Orbem utrumque ligans: crudeli sanguine tinctis
Fluctibus erigitur, funéstaque nuntia ferre
Oceano properat Tiberis. Quæ mentis imago,
Constantine, tuæ? raris mensura manîplis
Fortibus abludit stimulis. Fera Classica, clamas,

Mavo-

Mavortem in campos effundite: plena columbis
Agmina roſtra fugant Aquilæ; præcordia tuta
Tergemino gerit ære, cui bona cauſa triumphum
Præparat. O fortunatos, queîs militat Æther!
Aſpicitis, trepido quòd Milvius aſſere ſtratus
Hoſtiles prodat lepores: mihi ligna paravit
Victori meliora Polus. Crux, teſſera celſæ
Chriſtiadûm Fidei, placidis effulſit Olympi
Sedibus. Εν τύτῳ νίκα, ſunt juſſa Tonantis
Æterno ſignata adamante. En æmula tanti
Pignoris ut vexilla Crucem ſub lumine figant!
Hæc nobis pæana canet, dum præfica leſſi
Hoſtibus incumbet. Trabs nobis aurea tendet
Mergendis tabulam, atque meæ ſecura parabit
Fundamenta Domûs: Victoria ſtabit opis vi
Cæleſtis. Dixit: mox ambæ mutua prenſant
Vulnera Cadmææ ſegetes; pulcherrima mortis
Invitat ſpecies, famam pro morte paciſci
Belligerâ: lethale quatit Bellona flagellum;
Æqua diu pendet dubijs victoria pennis;
Lamentis miſcetur Jo! lauríque cupreſſis;
Exuti prædas retrahunt; collapſa reſurgunt
Agmina, & extremis fervet vindicta lacertis.
Denique, Conſtantine, tuis Maxentius armis
Oppreſſus gemit, atque Crucem reſupinus adorat.
Plaudite pennigeræ Mentes, quas fletus amarus
Obruit, emoriente DEO. Crux alta Triumpho
Invehitur: nidum ſummo Regina volucrûm

Cul-

Culmine deponit, fascésque inclinat avitos.
Sed quid, Musa, canis fumosis edita Fastis
Prælia? bella crepant alij, quos doctus anhelo
Pulvis amore trahit; tormentis fulminat horror
Palladias jaculans iras; inimicáque tentat
Humano capiti cervicem jungere equinam
Dextera, secretósque quatit ballista recessus
Assiduo uncta oleo. Sed promptæ ad Classica Divæ
Virtutes veniunt; & cujus palma perennis
Ostentat Fidei Clypeum, plus Ægide fortem
Gorgonis anguicomæ; sequitur solatia lapsis
Spes rebus generans; non anchora dente tenaci
Sic docilis fundare rates; supereminet omnes
Dius Amor, castísque fovens incendia flammis;
Non ita fulserunt Scythicâ sub rupe revincta
Ætheteæ nova furta facis. Crux Numine plena
Aëra depingit radijs, quam juncta Sororum
Virtutum manus extollit. Crux aurea salve!
Basia mille tibi figo, tibi mille salutes
Congemino. Jam cessabit fortuna vocari
Instabilis, nostram manibus, pedibúsque ligatam
Dum sortem retines. Talem, quasi mille Calendæ
Fluxerunt Jani, detexerat indice cervâ
THASSILO, dum casses, multo latrante molosso,
Tenderet, alternâ requie sua Sceptra coërcens.
Quin age, Divinæ niteant Insignia toto
Orbe Crucis; jaciet vanis lamenta pharetris
Pellæus Juvenis. Nunc unus sufficit Orbis.

Quid

Quid video, Superi! quaſi faſcia, circuit Orbem
Celſum Inſigne Crucis, titulóque coruſcat ovante
AUGUSTI CAROLI; ſupremo Purpura fulget
Vertice, & Auroræ ritu prænuncia Solis
Pingitur, hic medio dum tramite diſſipat umbras.
Plauſibus exulta felix Pollinga, Crucémque,
Quam nutris, Cruce confirma, quæ neſcia ſtringi
Orbe, Orbem cingit. *Non enarrabile textum*
Hîc fruſtra *clypei* recinet, quem Mantua Vatem
Progenuit: dignis reſonabit ſola Camœnis
ROMA, cui totus ſe jungat ſubditus Orbis.

Ita R. P. Kiliano

Eminentiſſima Theſium Auſpicia

Gratulatur

Philoſophia Pollingenſis.

FONS SAPIENTIÆ
E VULNERE LATERIS CHRISTI
PROMANANS,
FONTI CASTALIDUM SUBSTITUTUS
AB EODEM

Reverendo, Religioso, & Doctissimo Domino

CANONICO REGULARI CONGREGATIONIS LATERANENSIS

UNIVERSAM THEOLOGIAM PROPUGNANTE.

ODE.

QUid somniorum patria limina,
Et fabulosis culta liquoribus
Portenta Fontis, Musa, garris,
Ebria Pegaseo furore?
Facesse. Mendax desipit ungula,
Falsis propinans omina poculis,
Et corda mergens vanitate:
Sanctior hic fluit Hippocrene.
En, ut beato transfuga littore,
Ac hospitalis prodiga Numinis,
E corde pendentis Tonantis
Lympha ruat meliore rivo!
Servare primum nescia marginem,
Mortale fidâ pectus inebriat
Amystide, & membra entheata
Unda replet vigili sopore.

Vides,

Vides, perenni fonte ſcaturiant
Ut purpuratæ vulnere Najades?
Huc ſicca velox labra tende:
Indigetes reveches Camœnas.
Tam luminoſis plena caloribus,
Et tota vero mens ſaliens DEO,
Auguſtiores fundit Odas,
Invidiam paritura Pindo.
Apollo tanti jubila gurgitis,
Famæque miros aure bibens ſonos,
Livore torvus mordet ora.
Delphica Templa loqui recuſant.
Tandem beatum Te Pugilem canit,
Cui tanta manat gratia nectaris,
Et pervijs infuſa fibris
Attonitos ciet ore fluctus.
Quin ipſa, pergit, brachia Daphnidis
Victorem anhelant ſtringere verticem,
Oblita Phœbi; laureatum
Cedo decus, mea plectra, Palmam.

Honoris & amoris ergò
accinunt

Religioſi in Convictu S. Hieronymi.